DE C. SUETONII TRANQUILLI USU ATQUE GENERE DICENDI.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM VIADRINA VRATISLAVIENSI

RITE IMPETRANDOS

DIE XIV. MENSIS JANUARII ANNI MCMI HORA XII.

UNA CUM

SENTENTIIS CONTROVERSIS IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

JOHANNES WOLFGANG FREUND

SILESIUS

ADVERSARII ERUNT

STEPHANUS GLOECKNER, DRD. PHIL.

FRIDERICUS PRADEL, DRD. PHIL.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSERUNT IMBERG & LEFSON.

Carolo Friderico Guilelmo Mueller

pio gratoque animo.

De C. Suetonii Tranquilli elocutione quamquam Thimm: De usu atque elocutione C. Suetonii Tranquilli. Regimonti 1867. Bagge: De elocutione C. Suetonii Tranquilli. Upsala 1875. Trachmann: De coniunctionum causalium apud Caium Suetonium Tranquillum usu. Halis 1886 diligentes libellos ediderunt, tamen non abs re esse existimavi denuo in eius genus dicendi, in universum habitum atque colorem sermonis inquirere. Illi enim, quos laudavi, singula fere attulerunt, quae digna eis visa sunt disputatione. Sed universum Suetonii genus dicendi et acerbissime vituperatum et summis laudibus elatum (ad testimonia a Thimmio laudata [p. 1—5] addi potest: E. Norden: Die antike Kunstprosa. Leipzig 1898 I S. 387 Anm. 1.: Sueton schreibt farblos), sed nondum, quantum ego quidem video, explicatum et quasi ante oculos positum est. Suetonium enim sermoni nullam operam dedisse et omni se ornatu atque decore verborum abstinuisse multi huius aetatis viri docti iudicare videntur ideoque operae vix esse pretium verba eius perscrutari et quasi examinare. Ego vero, qui hoc munus pro viribus meis suscepi, nequaquam vereor, ne rem inutilem aggressus sim. Nam sicut nostrum est linguam Latinam omnium monumentorum nobis servatorum quam diligentissime cognoscere, praesertim cum sciamus veteres scriptores sermonis elegantiae multo maiorem dedisse operam nostris, ita Suetonius est historicus, cuius fides et auctoritas probata est, qua de causa

saepe evolvitur, deinde aetatis illius non multa iam exstant opera, tum sermo illius simplex atque purus maxime differt a multis scriptoribus illius aetatis antiquitatem nimiamque elegantiam atque artem affectantibus (vide quod Nordenus loco laudato et Reifferscheidius: C. Suetonii Tranquilli reliquiae Leipzig 1860 p. 405—406 de hac re disputaverunt).

Pars I. De universa elocutione.

I. De perspicuitate.

Praecipua quidem eius virtus perspicuitas mihi videtur. Summam enim navat operam, ut res ab eo expositae bene intellegi possint neve legentes in ullam obscuritatem ambiguitatemque incidant.

§ 1. Ambitus verborum cum cura et arte expoliti et artificiose rhetoriceque dispositi perraro leguntur. Hi fortasse afferri possunt. (Quotiens locos Suetonianos afferam, ad capitum numerum versum editionis a Carolo Ludovico Roth confectae addam.) Nescio an longissima sententia Suetoniana sit in Augusto 17, 1—12, ubi praeter primam sententiam subiectam septem participia compluresque ex illis pendentes sententiae antecedunt sententiam ea regentem, quae et ipsa bipartita participium et sententiam ex eo pendentem complectitur. Ceterae sententiae paulo longiores tamen dilucidae sunt, quod sententia primaria prius fere incipit sententiasque pendentes complectitur. Exempla haec attulerim: Iul. 7, 18—25 Iul. 20, 24—30 Iul. 26, 10—17 Iul. 42, 3—10 Iul. 49, 33—38 Iul. 79, 9—17, qui ambitus potissimum artem quandam atque concinnitatem exhibere mihi videtur.

§ 2. Nonnumquam tales apud Suetonium ambitus leguntur, in quibus permultae sententiae inferioris ordinis vel infinitivi modi pendeant ex sententia primaria. Quae sententiae non ita inter se cohaerent, ut verum circuitum reddant. Sunt enim fere enumerationes neque sensu neque arte conexae et quasi con-

glutinatae, et ab hac sola parte in iis laude dignus Suetonius est, quod eandem rationem dicendi, qua coepit eos, cum cura retinet. Iul. 44, 35—11 unus est ambitus et ex prima sententia *plura ac maiora destinabat* pendent decem infinitivi rursus sententias inferioris ordinis et participia secum habentes. Sunt omnes inter se non coniuncti particulis, sed ordine et dispositione non carent, siquidem primus infinitivus est de urbe ornanda, alter et tertius de iure civili, quartus de litteris, quintus, sextus, septimus de operibus publicis, octavus et ultimus de bellis gerendis. Item Iul. 46, 35—48, 10 quinque infinitivi docent munditias lautitiasque a multis proditas. Et in Augusto c. 36, 3—9 e verbis *auctor fuit* quinque sententiae pendent, quibus narrat, quae Augustus in re publica administranda novaverit, et in Tiberio 49, 13—26 e verbis *sat constat* pendent quinque infinitivi omnes sane ad eandem rem pertinentes scilicet ad rapinas Tiberii exemplis illustrandas.

§ 3. Contra longos ab eo ambitus vitatos esse inde intellegi potest, quod duas nonnumquam eiusdem ordinis sententias iuxta ponit, ubi, ut altera ex altera pendeat unumque ambitum ambae efficiant, sermo Latinus paene postulare videtur. Et sententia prior quidem plusquamperfectum fere exhibet, posterior pronomine demonstrativo adnectitur. Exempla sunt: Aug. 94, 13—17 (p. 81) Tib. 11, 22—25 Tib. 32, 26—30 Tib. 35, 26—32 Tib. 58, 5—7 Cal. 30, 26—31 (ubi etiam tres sententiae primi ordinis positae sunt) Cal. 35, 12—18 Cal. 39, 31—36 N. 36, 7—11 N. 39, 13—23 G. 18, 10—15 O. 8, 26—29 Vesp. 7, 19—20 Vesp. 8, 19—21 Vesp. 10, 3—9 Vesp. 11, 10—12 Vesp. 14, 3—7 Tit. 8, 36—2 (p. 239).

Vix in ullo eorum exemplorum, quae attuli, dici potest priorem sententiam a scriptore consulto non esse subiectam posteriori, ut maius momentum sit eius. Immo si rationem continuationemque sententiarum spectes, haec parataxis pro hypotaxi adhibita eam perturbat. Sunt enim omnes loci laudati tales, ut posterior sententia maioris momenti sit priore. Nam illa rem ipsam continet, propter quam sententia tota posita est, haec aliquid minoris momenti, sed ad posteriorem sententiam bene intellegendam necessarium affert.

Aliud exemplum parataxis pro hypotaxi est Iul. 10, 20—24, nam illud *nec dissimularet* pendere debebat ex *ut gratiam caperet,* non ex *quo factum est.*

§ 4. Quamvis igitur interdum ipsa parataxi adhibita Suetonium id assecutum esse videamus, ut veram, quae inter sententias inter-

cedat, rationem obscurarit, tamen hac via orationem ut dilucidam et claram redderet, operam eum navasse intellegitur. Quod tales quoque loci docent. Ubi enim testimonia auctorum pristinorum vel titulorum affert, non ea sententiae primariae locum obtinentia facit, e quibus, quid prodant et testentur, pendeat infinitivo modo, quod fieri solet, sed sententia inferioris ordinis fere particula *ut* incipiente ea effert, quod autem tradunt, sententiam superioris ordinis efficit, ut nos dicere solemus.

Exempla sunt: Iul. 52, 28—30 *dilexit et reginas, inter quas Eunoen Mauram Bogudis uxorem, cui maritoque eius plurima et immensa tribuit,* **ut Naso scripsit.** Idem exhibent hi loci: Iul. 54, 18—23 Iul. 77, 25—26 Iul. 82, 30—32 Aug. 5, 37-6 Aug. 71, 8—9 Aug. 94, 8—11 (pag. 80) Tib. 5, 31—33 Tib. 70, 33—35 Cal. 2, 20—21 O. 7, 4—8 gr. 11, 15—16 gr. 21, 37—1.

§ 5. Contra ubi res quaedam veterum auctorum testimoniis tradita, quae sequatur sententiam priorem, ad hanc illustrandam augendamve affertur, non illa ipsa res pendet e sententia primaria, sed illud *constat, traditur* contra rationem. Vide enim talem locum: Aug. 3, 13—16 *ita socios tractavit,* **ut epistolae M. Ciceronis exstent,** *quibus Quintum fratrem — hortatur et monet.* Ratio postulat, ut illud *hortatur et monet* pendeat ex *ut* voce, admonitio enim sequitur exemplum illud illustre C. Octavii, non litterae exstantes. Ita saepe Suetonius: Aug. 79, 20—24 Cal. 4, 22—30 Cal. 14, 19—21 N. 6, 37—3 gr. 3, 14—17 gr. 3, 17—23 gr. 23, 37—1. Similiter Iul. 53, 13—16, ubi tamen antecedente *Oppius docet* illud *scribat* non necessarium est atque deesse potest.

§ 6. Iam hae sententiae, si rationem spectes, vitio non carent. Tales vero ambitus verborum, qui non eodem modo finiantur, quo coepti sint, quam figuram Graeci ἀνακολουθίαν vocant, hos inveni: Cl. 4, 14—18 (pag. 150) ita potest intellegi. Dixit enim Suetonius: *et reliquerit ac nuncuparit,* quasi *quin* antecederet, non *quid* (vide Fr. Aug. Wolfii in editione annotationem). Sed hic locus rectius fortasse explanatur, si parataxin pro hypotaxi statuimus adhibitam esse. Quid enim Augustus constituerit, hoc exponitur et quasi continetur sententiis: *et reliquerit eum et nuncuparit.* Qua explicatione probata coniecturis opus non est, quas permultas viri docti fecerunt (quas videre possis apud Smildam: C. Suetonii Tranquilli Vita Divi Claudii, Groningae 1896), quas tamen ne Bremi quidem aut Baumgarten-Crusius receperunt. Huc pertinere videtur O. 7, 12—17 *Dicitur pavefactus repertusque ante lectum iacens per omnia piaculorum genera*

Manes Galbae — propitiare temptasse, postridie quoque in augurando tempestate orta graviter prolapsum (quasi *dicunt* antecedat non *dicitur*) *obmurmurasse.* Non semel Suetonius relativo pronomini nomen eodem casu vel totam sententiam adiungit particulis *que et ve,* pronomen ipsum vero alio casu apponere neglegit ita, ut sententiam inferioris ordinis in superiorem ordinem mutare videatur.

Iul. 52, 29 *cui* maritoque eius *plurima et immensa tribuit.* Aug. 40, 8—9 *pronuntiavit non teneri ea, quibus ipsis* parentibusve *equester census umquam fuisset.* Dom. 15, 20—22 *cuius filios etiam tum parvulos successores palam destinaverat* et — alterum *Vespasianum appellari iusserat,* alterum *Domitianum.* Alia neglegentia quaedam legitur in Tiberi capite 72, 16, ubi *sed* particula posita est, quasi antecedat *conatus est,* non participium solum.

§ 7. Ubi scriptori optio datur e duobus vel compluribus scripturae generibus perinde rectis alterutrum eligendi, haec nonnumquam permisceri atque contaminari et a Graecis et a Romanis auctoribus notum est. Sed raro Suetonius hoc genere dicendi utitur.

Hos locos collegi: Aug. 40, 22—23 *si sibi persuasisset quam iustas petendi causas haberet;* nam aut si persuasisset iustas se causas habere aut si explicavisset, quam iustas causas haberet, exspectamus. (Fortasse non abs re erit hos locos, qui in Terentii Phormione leguntur, ascribere: v. 161 *dum exspecto quam mox veniat,* v. 606 *exspecto quam mox recipiat sese Geta.* De utroque loco vide quaeso quid Haulerus in editione sua disputaverit.) N. 47, 19—20 quanta maxima posset *miseratione veniam praeteritorum precaretur.* Vit. 17, 30—32 *sciscitantes, quis esset et* ubi esse *Vitellium* sciret. Tit. 7, 30 *abstinuit alieno,* ut si quis *umqam.* Et si attigerimus hunc locum: Iul. 32, 21—22 *Tunc Caesar: eatur,* inquit, *quo deorum ostenta et inimicorum iniquitas vocat. Iacta alea est,* inquit, ubi iteratione verbi *inquit* clausulam numerosam (creticum + trochaeum) effecit, nescio an omnes neglegentias commissas aut hic illic consulto adhibitas perlustraverimus. Nam illum locum: Tit. 5, 25—27, ubi nos quidem coniunctionem causalem desideramus, ille *postquam* posuit, non neglegentia ita scriptum esse dicemus, sed quod sententiarum conexum aliter intellexit et comprehendit Suetonius ac nos.

§ 8. Talia exempla rarissima non obsunt perspicuitati, cui etiam, quod attinet ad totius narrationis dispositionem, operam

dedit. Nam cum Suetonius, postquam de origine et pueritia singulorum breviter exposuit, non rationem temporum sequatur in vita enarranda, sed per species persequi soleat totam vitam publicam privatamque, quid quisque domi bellique gesserit, qualem se in iudiciis exercendis praebuerit, qualibus fuerit moribus, qualem in senatum, in cives, in suos se praestiterit,*) prima voce quasi materiam et inscriptionem proponere solet totius partis, unde cognoscamus singula facta inde memorata ad hanc rem pertinere aut ad eam illustrandam hoc loco posita esse. (Baumgarten-Crusius in editionis Suetonianae volumine tertio in corollario de genere dicendi Suetonii p. 835 § 10.)

Exempla cum exstent paene innumera, pauca afferam. Aug. 9, 20 *bella civilia*, de quibus tradit inde a capite nono usque ad caput vicesimum. Tum *externa bella* tractaturus in initio huius partis c. 20 collocavit, quae usque ad c. 24 pertinet. Tum Suetonius de re militari verba facit, quam partem (c. 24—26) optime incipit verbis *in re militari* (ante quae verba potius Rothius versum finire debebat quam ante *disciplinam severissime rexit*). Pars, quae sequitur, incipit voce *magistratus,* de quibus inde a c. 26—28 tradit. Tum de urbe ornanda dicturus *urbem* vocem in initio posuit, quae pars inde a c. 28, 36 — c. 31 pertinet. Etiam virtutes singulas in hunc modum enumerat atque in initio partis positas exemplis illustrat velut *liberalitatem* per capita 41—43, 18, *clementiam civilitatemque* per capita 51—57, *genus eloquendi* et studium litterarum per capita 86—90, *religionem* per capita 90—94. Eundem ordinem fere in omnibus vitis tenuit, velut in Caligula c. 18, 32 c. 25, 18 c. 27, 36 c. 34, 27 c. 36, 29 c. 37, 7 c. 40, 37 c. 43, 37.

§ 9. Quam diligenter autem Suetonius et universam materiam et singulos ambitus disposuerit et ordinaverit, optime intellegitur iis locis, quibus compluribus nominibus quasi inscriptionibus praepositis singula exsequitur eundem ordinem observans (Baumgarten-Crusius l. l. § 8 p. 833).

Tales locos intellego: Iul. c. 44, 13—14 Suetonius de *forma, habitu, cultu, moribus* esse se dicturum proponit. Iam vide quam bene conveniant, quae sequuntur, ad hunc ordinem. c. 45, 16—20 de forma, c. 45, 20—28 de habitu, c. 45, 29 — c. 48, 10 de cultu, inde de moribus verba facit. Cl. 15, 22—24 Suetonius Claudium

*) Suetonii rationem et proprietatem, qualis e vitis grammaticorum rhetorum poetarum nobis traditis cognoscatur, optime illustravit Gustavus Koertge: In Suetonii de viris illustribus libros inquisitionum capita tria p. 209 sqq.

in iudicando *modo circumspectum et sagacem, interdum inconsultum ac praecipitem, nonnumquam frivolum amentique similem* vocat. Tum affert exempla primo sagacitatis usque ad verba *indicto matrimonio iuvenis*, tum imprudentiae usque ad *flagitavit*, postremo stultitiae vel amentiae ad *proposuissent*. Eodem modo praeter locos a Baumgarten-Crusio laudatos Cal. 37, 8—11 *balneae cibi cenae* et Cal. 54, 18—30 *Threx auriga cantor saltator*, Cl. 18, 34—19, 11 *urbis annonaeque cura* et Cl. 39, 29—3 *oblivio et inconsiderantia*, G. 12, 32—2 *saevitia atque avaritia* et Dom. 6, 22—27 *expeditiones partim sponte, partim necessario susceptae* sententiis sequentibus eodem ordine diligenter observato explicantur.

§ 10. Eundem morem observat Suetonius, si in duobus sententiis binas voces respondentes collocat, ut scilicet prior vox priori alterius sententiae, posterior posteriori congruat. Ad locos plurimos a Baumgarten-Crusio (l. l. § 9 p. 834—835) laudatos addi potest Iul. 27, 4—7, ubi voci *reorum* respondet in sententia sequenti *criminum, obaeratorum inopiae, prodigae iuventutis luxuriae*.

Etiam in eadem sententia binae voces eodem modo respondent. Iul. 24, 25—26: *quam* disciplina cultuque *Romano* institutam *et* ornatam, nam *instituere* ad *disciplinam*, *ornare* ad *cultum* pertinere videtur.

Hos locos inveni hunc ordinem non retinentes: Iul. 27, 2—3 libertos *insuper* servulosque *cuiusque, prout* domino patronove *gratus qui esset*. Iul. 35, 15—17 *bellum sane difficillimum gessit neque* loco *neque* tempore *aequo, sed* hieme *anni et intra* moenia *copiosissimi ac sollertissimi hostis*. Cl. 14, 17—21, ubi *duritiam lenitatemve* explicaturus priore sententia *nam et iis — restituit actiones* lenitatem tractat, posteriore *convictos — condemnavit* duritiam. Vit. 2, 9—10 *ne* clam *quidem aut* raro, *sed* cotidie *ac* palam. Vit. 15, 32—34, ubi vocibus *terra marique* respondet *hinc fratrem cum* classe *opposuit, hinc Betriacenses* copias *et duces*.

§ 11. Omnino amat Suetonius, quotiens res similes vel respondentes afferendae ei sunt, initio eas una voce comprehendere, quae ipsa quoque quasi inscriptio est. Quam vocem non ex sequentibus partes singulas significantibus pendentem facit genetivo, quem vocant partitivo, sed praeponit eodem casu quo illas, quae appositionis ritu additae videntur. Aug. 25, 24—26 dona militaria *aliquanto facilius* phaleras *et* torques — *quam* vallares *ac*

murales coronas — *dabat.* Idem exhibent hi loci: Aug. 101, 28—31 Tib. 9, 30—31 Vesp. 8, 36—37 gr. 10, 6—10. Eadem consuetudo invenitur hoc quoque loco: Tib. 63, 11—12 *Unum et alterum consulares — detinuit,* quamquam vox latioris sensus *consulares* non in initio sententiae posita est, sed sequitur illud *unum et alterum* singulas partes significans.

Fortasse hoc quoque genus dicendi parataxis pro hypotaxi in membris scilicet sententiarum dici potest. Genetivum in talibus sententiis semel deprehendere me memini in Tiberio 52, 27—28.

Paulo vero audaciores vel neglegentiores hae sententiae videntur: Aug. 94, 18—24 (p. 80) *Q. Catulus — duabus continuis noctibus somniavit: prima Jovem Optimum Maximum e praetextatis compluribus circum aram ludentibus unum secrevisse — at insequenti animadvertisse se in gremio Capitolini Iovis eundem puerum.* Suetonius enim omnino non dicere vult Catulum duabus continuis noctibus somniasse, quod prima sola verba leviter inspicienti videri potest, et illa vox toti sententiae communis, quam praeponere Suetonius debebat, non illud *duabus continuis noctibus* erat, sed *de eodem puero* saltem addendum fuit. Alter locus est Vesp. 6, 4—8 *praeterea ex praesidibus provinciarum Licinius Mucianus et e regibus Vologaesus Parthus ille — Syriacum promisit exercitum, hic quadraginta milia sagittariorum.* Hoc loco enim, si accuratius inspicias, nulla est vox communis, quae praeponi possit, sed duae sententiae sunt, quae idem verbum continent: Lic. Mucianus promisit Syriacum exercitum, Vologaesus quadraginta milia sagittariorum. Tamen Suetonius e more suo nomina complectitur et in principio collocat, tum utriusque factum enarrat, quasi unam vocem dividat.

II. De brevitate sermonis.

Praeter perspicuitatem, quam Suetonium assecutum esse iudicamus, brevitatem sermonis affectavit. Ut erat scriptor veritatis cupidus et abhorrebat a rebus factisve exornandis et extollendis, ita pompam et speciem inanemque strepitum verborum contemnebat et aspernabatur. Verba enim res apud eum non obruunt et obscurant, sed rem ipsam nec quicquam ultra exprimunt. Sed cum magna arte variisque viis et rationibus usus maximam facultatem sollertiamque in universum assecutus sit, tamen non potest negari ultra iustum modum nonnumquam eum in brevitate affectanda excessisse neque tantum in sermonem parum

comptum concinnumque, verum etiam in obscuritatem quandam hic illic incidisse. Ut prooemia, orationes operi addere sprevit neque suum iudicium nisi rarissime et paucissimis verbis interposuit, sed res gestas continuo tradit et persequitur, ita singulis in verbis proprietatem, in iunctis perspicuitatem maxime secutus est (Rothius in editionis praefatione p. XVI) ita tamen, ut non omnem ornatum vel omnem occasionem res graves augendi verborum collocatione et figuris omiserit. Sed haec postea videbimus. Nunc vero, qualibus rationibus Suetonius usus sit ad brevitatem consequendam, de qua vir de Suetonio optime meritus, Rothius, loco laudato ita iudicavit: Adde miram scribendi brevitatem verborumque parcimoniam, et intelleges recte dici solere nullum fere scriptorem tam exiguo libro tantam rerum multitudinem et tot exquisita veteris historiae et vitae documenta comprehendisse.

§ 1. Iam supra (I § 8) vidimus Suetonium in vita enarranda per species singula afferre solere et, de qua re gesta aut virtute vitiove verba facturus est, hanc in partis initio ut inscriptionem titulumque collocare. Iam vero inspiciamus, quo modo singula, quae pertinent ad illam inscriptionem vel explicandam vel exemplis illustrandam, adiciat et exsequatur. Quae brevissimis sententiis plerumque non inter se coniunctis, simillime compositis, verbo saepe omisso, quasi enumerat et nonnumquam significat potius quam exponit. Hae sunt partes libelli, quae imprimis omni arte dicendi, omni ornatu carent et nimia aequalitate sententiarum minutarum offendunt legentem. Et optimum exemplum, quae tamen in nulla vita non exstant, nescio an sit in Nerone c. 16, 36—c. 17. Nam quae a Nerone *animadversa severe et coercita* et *instituta* sint, sex sententiis exponitur omnibus fere brevissimis, verba semper passivo genere posita sunt: *adhibitus, redactae, interdictum, afflicti, vetiti, relegatae*, verbo *esse* nusquam non omisso; quater verbum incipit sententias, quae non inter se sunt coniunctae. Octo denique versibus editionis quidem Rothianae multas res exsecutum esse Suetonium nemo negabit. Cum hoc loco optime confertur locus simillimus, qui est in Tiberio c. 61, 23—38, quod attinet ad brevitatem sententiarum et ad verborum collocationem. Eodem modo sententias composuit et ordinavit: Aug. c. 32 et c. 56. Cal. c. 15 et c. 16 ex magna parte, in quibus sententiis verbum saepissime sententiam claudit, obiectum saepe incipit, etiam Cl. c. 11, c. 12, c. 25, ubi collocatio verborum eadem fere est quae in Cal. capitibus 15 et 16, N. c. 30 Dom c. 8. Vix una vox in his locis reperiri

potest non necessaria, sed scriptor legentes quasi secum rapit et diversas saepe res, tamen ad unam pertinentes percurrens legentes in aliqua re aestimanda et iudicanda morari vel acquiescere non sinit. Eodem pertinent loci iam supra laudati (I § 2), quibus permultae sententiae inferioris ordinis pendeant ex sententia primaria.

§ 2. Deinde Suetonius non veretur complura membra eiusdem generis et compositionis in eadem sententia ponere, ut quam plurima in eam congerat. Quo modo habitum staturamque Caesarum semper fere depingit, et quinquies ablativis, quos vocamus qualitatis, utitur non coniunctis et ex uno pendentibus verbo. Nam Neronis figuram exponit novem ablativis (c. 51, 22—25), sex Iulii (c. 45, 16—18), Caligulae septem (c. 50, 24—27), Galbae quinque (c. 21, 30—32), Vespasiani tribus (c. 20, 32—33). Simili brevitate Suetonius de Othonis (c. 12, 19—22) et de Vitellii (c. 17, 4—6) nec non de Domitiani (c. 18, 12—17) habitu verba facit. Pluribus verbis utitur ad Augustum solum describendum (c. 79—80) et Tiberium (c. 68, 33—9), ubi tamen e verbo *incedebat* pendent sex membra. Neque veretur tria nomina e praepositionibus pendentia iuxta ponere non conexa et verbo postposita: Dom. 8, 18—19 *ius diligenter et industrie dixit plerumque et* in foro pro tribunali extra ordinem.

§ 3. Imprimis vero Suetonius participiis usus est, quae locum integrarum sententiarum saepe tenentia sermonem brevem et circumcisum reddunt. Quae copia atque multitudo vel praecipue Suetonii elocutioni propria est. Thimmius p. 91 magna cum cura ea in vita Iulii prioreque parte Augusti numeravit, ubi legantur sescenta triginta tria participia. Unde efficitur, ut in omnibus vitis tria milia fere inveniantur. Neque Suetonius veritus est plurima participia in uno circuitu verborum ponere. Locos cum Thimmius p. 91—92 collegerit, satis habeo illum ambitum supra allatum (I § 1), qui est in Augusti vita c. 17, 1—12, in memoriam revocare, in quo novem participia sententiam primi ordinis antecedunt. Qui locos a Thimmio laudatos inspiciet, et Suetonium participia quae vocamus coniuncta et ablativos absolutos promiscue adhibuisse, quod concinnitati sermonis non prodest, neque singula conectere solitum esse cognoscet.

Neque alia de causa Suetonius saepe participiis futuri activi generis usus esse mihi videtur, quae ad pressum et circumcisum sermonem multum valent. Et varia significant, nonnumquam finem consiliumve aut propria significatione idem quod graece μέλλειν aut condicionem concessionemve aut comparationem quan-

dam addita coniunctione *quasi.* Locos collegit disposuit illustravit Thimmius p. 95—96.

Ut vero Suetónium intellegatur magnam artem in participiis adhibendis assecutum esse, unum locum supra laudatis, qui ob nimiam neglegentiam inconcinnitatemque nonnumquam vituperati sunt, opponam, qui est in Augusto c. 8, 1—5, quae sententia permulta continet eleganter narrata participiis non nimis multis et bene dispositis.

§ 4. Porro Suetonius loco integrarum sententiarum vel infinitivi accusativum e verbo primario pendentem facit his locis: Jul. 17, 21—22 *Vettius etiam chirographum eius Catilinae datum pollicebatur.* N. 21, 27—28 *flagitantibus cunctis caelestem vocem respondit.* G. 16, 29—30 *legationem ad praetorianos cum mandatis destinaverunt.*

Neque non substantiva cum participio vel gerundivo e praepositione aliqua pendentia ita posuit, quod ab aliis quoque scriptoribus cuiusvis aetatis factum esse haud ignoro. Talia exempla sunt Tib. 2, 18—20 *ob expellendum urbe Ciceronem plebeio homini — in adoptionem se dedit.* Tib. 60, 8—10. *Militem praetorianum ob subreptum e viridario pavonem capite puniit.* Haec vulgaria.

Paulo audaciores videntur loci, in quibus praepositio, ut nos dicimus, praegnanter posita est vel vim participii tenet. Iul. 2, 4—6 *a quo ad accersendam classem in Bithyniam missus desedit apud Nicomeden* non sine rumore prostratae regi pudicitiae. Similem praepositionis usum hi loci exhibent: Iul. 7, 32—33 Iul. 9, 36—38 Iul. 21, 25—26 Iul. 44, 10—11 Iul. 48, 7—8 Iul. 50, 13 Tib. 11, 14—16 N. 36, 15—16 Tit. 4, 38—2 Dom 13, 12—13. Sed nescio an audacissime hoc loco locutus sit Suetonius: Tib. 70, 24—25 *ut aliquanto* ex tempore *quam* a cura *praestantior haberetur.* Eandem vim quam praepositio ablativus hoc loco obtinet: N. 12, 22—23 *Magistros toto certamini praeposuit consulares sorte,* sede *praetorum.*

Similiter adiectivum cum substantivo coniungitur his locis: Iul. 41, 24—25 *nudatos opere censorio — restituit* (scil. opere, quod censores notabant, quod eis obnoxium fuit.) N. 21, 37—38 *coronam eam distulit* (scil. coronam huius certaminis victori propositam). Similes sunt hi loci: Aug. 1, 8 Aug. 84, 13—14 Cal. 8. 30—32 Cal. 28, 27 Vit. 14, 11—12 Dom. 8, 21—22.

Nonnumquam genetivus quoque e substantivo pendet paulo audacius et liberius, quod ad sensum attinet. Thimmius p. 60—61

§ 1 et § 3 multa exempla congessit. Haec addam: Aug. 13, 10—11 *alteris (veteranis) non pro* spe meritorum *tractari querentibus.* Tib. 11, 15—16 *quasi ad* occasionem maioris spei *commoraretur.* Tib. 34, 20—21 *qui* potestatem sui *non habuissent.* In Caesaris commentariis persaepe ita legitur (confer Tib. 40, 20—21 *potestatem adeundi sui fecit).* Cal. 37, 13—14 nummos *non* mediocris summae — *sparsit in plebem.*

Sententia vero relativa satis audacter ad nomen apposita est N. 25, 11—12 *cum titulis, ubi et quos quo cantionum quove fabularum argumento vicisset,* et Vit. 9, 29—31 *partitus est copias, quas adversus Othonem praemitteret quasque ipse perduceret.* Cum his locis apte comparatur Vit. 7, 25—28 *A Galba in inferiorem Germaniam contra opinionem missus est. Adiutum putant T. Vini suffragio —; nisi quod Galba prae se tulit* (ubi *nisi hac de causa missus est, quam Galba prae se tulit,* aut *quod verum est nisi quod* exspectes).

§ 5. Porro brevissime scriptus est Iul. 35, 18—19. Nam in Caesaris bellis enumerandis bellum Alexandreum difficillimum et periculosissimum fuisse exponit. De eventu una voce nos certiores facit interposita in narrationem factorum, quae victoriam secuta sunt: *regnum Aegypti* victor *Cleopatrae fratrique eius minori permisit.*

§ 6. At hoc loco una illa vox rem sane gravem docet. Nonnumquam vero Suetonius etiam res ad narrationem intellegendam necessarias omittit, quae ei propria commemoratione egere visae non sint, quas nos tamen desideremus, nam moram quandam vel difficultatem tales loci nobis praebent.

Et leves sane hi loci sunt: Jul. 4, 24—26, ubi Caesarem a praedonibus captum narrat comites servosque ad expediendas pecunias dimisisse. Et servos pecuniis comparatis redisse non legimus, sed Suetonius statim pergit *numeratis deinde quinquaginta talentis*, et Aug. 76, 19 *verba ipsius ex epistolis sunt* (scil. quae afferam). Sed nescio an paulo durius dictum sit N. 31, 35 *vestibulum eius fuit* (scil. tantum), *in quo colossus CXX pedum staret,* et G. 9, 18—19 *paulatim in desidiam segnitiemque conversus est, ne quid materiae praeberet Neroni.* Similis est locus in Claudio c. 10, 16—17, ubi ad substantiva genetivum, quem vocamus obiectivum, desideramus: *receptus intra vallum inter excubias militum pernoctavit aliquanto minore spe quam fiducia*, ubi spem pertinere ad imperium potiundum, fiduciam ad vitam servandam interpretes docent. Tempus parum diligenter

definitur in Tiberio c. 37, 25—26 *hostiles motus nulla* postea *expeditione suscepta per legatos compescuit.* Nam capitibus proximis non de expeditione ulla vel de rebus bellicis, sed de rebus in pace gestis verba fecit. Sic locum accipio: post Augusti mortem et imperium initum nulla expeditione suscepta, et refero ad capita 18—21.

Hic mihi recte afferri videtur locus, qui est in Claudio 15, 33 *absentibus secundum praesentes facillime dabat.* Nam nomen illud, quod desideratur ad ablativum, si grammaticam rationem spectes, non per se statim intellegitur. Est autem *altera parte litigantium* vel *reis,* quod post vocem *iuvenis* facile evanescere potuisse Carolus Fridericus Guilelmus Mueller, professor illustrissimus, benigne mecum communicavit (confer H. Smildam p. 69.). Quod autem legimus in Nerone c. 8, 31—32 *ut de Claudio palam factum est,* mortem illius a Suetonio indicari nonnisi e sequentibus vel e vita Claudii ipsius intellegimus. Iam vero Suetonius cum scribit in Caligula c. 55, 3—7 *Columbo victori leviter tamen saucio venenum in plagam addidit — prasinae factioni ita addictus et deditus, ut cenaret in stabulo assidue et maneret,* ex his extremis verbis colligimus Columbum alterius factionis, venetae fortasse, fuisse ideoque a Caligula esse interfectum.

§ 7. Etiam obscuritas quaedam hac brevitate efficitur nonnullis locis velut in Claudio c. 20, 25—26 *continuis triginta hominum milibus sine intermissione operantibus,* quem locum Wolfium et Baumgarten-Crusium sequens explicaverim: homines una et continua serie collocati (cf. Smildam p. 91), et in Galba 22, 35—38, qui locus nondum satis explanatus est, et in Othone 8, 26—29, quem locum e Taciti narratione copiosiore Baumgarten-Crusius bene illustravit.

§ 8. Ut vero cognoscatur Suetonium in hoc brevi dicendi genere magnam artem sollertiamque adeptum esse, locus, qui est in Iulio c. 34—37, maxime dignus mihi videtur, qui legatur. His paucis neque longis capitibus omnia Caesaris bella persequitur et summas rerum enarrat, ut vix quicquam desideres. Sermo est vivus, fortis, circumcisus, non abruptus.

III. De copia verborum.

Locos, quibus Suetonius copiam quandam atque ubertatem verborum adhibuit, plurimos Baumgarten-Crusius in corollario supra laudato p. 841—844 in parte, quae pleonasmus inscripta est, congessit. Hos locos addam ad exempla ab eo collecta: Iul. 6, 4—5

et in amitae quidem laudatione de eius *ac* patris sui utraque *origine sic refert.* Aug. 46, 14—15 *iure ac dignatione urbi* quodam modo pro parte aliqua *adaequavit.* Aug. 87, 26—27 *ad exprimendam* festinatae *rei* velocitatem. Tib. 54, 36 *varia fraude* inductos *ut* concitarentur *ad convicia.* Cl. 21, 30—31 qualis est ut cum *Palumbum postulantibus daturum se promisit.* O. 11, 5—6 *qui* discedere et abire *coeptabant.* Dom. 4, 9—10 (p. 244) initium *vescendi* primus *fecit.* Dom. 9, 15—19 *cupiditatis quoque atque avaritiae vix suspicionem ullam — dedit,* immo e diverso *magna saepe non abstinentiae modo, sed etiam liberalitatis experimenta.*

IV. De detractionibus.

Fortasse non abs re erit hic de detractionibus, qua voce Quintilianus ellipses vertit, verba facere. Vix enim ad figuras et ornatum sermonis pertinent, sed potius ad brevitatem Suetonii omnia, quae non necessaria videantur, omittentis vel ad neglegentiam nonnumquam.

§ 1. Initium petam a verbo *esse,* quod in infinitivis perfecti passivi persaepe omittitur. Neque hoc mirum est aut exemplis eget. Porro ad nomina *esse* nonnumquam non adiungit, ut nonnullis locis videatur e verbo non infinitivus modus, sed accusativus ut obiectum derectum, quod vocamus in arte grammatica, pendere. Hos locos intellego: Aug. 8, 8—9 *ut primum occisum eum heredemque se comperit.* Cl. 12, 31—32 *(non ante quam) salvum et appropinquare affirmarent.* N. 28, 36 *quam fama erat Agrippinae simillimam.*

Infinitivus perfecti quoque *fuisse* non semel omittitur. Loci hi sunt: Iul. 45, 29 Iul. 46, 35—36 Iul. 53, 13—14 Aug. 3, 5—7 Aug. 80, 37—1 Aug. 90 36 Cl. 1, 6—7 (p. 148).

Plane eodem modo infinitivus futuri desideratur his locis: Aug. 10, 34—35 Tib. 17, 24—25.

Atque etiam in sententia integra hoc verbum omittitur: Tib. 56, 16—17 N. 5, 10—12 N. 56, 26—27.

Huius detractionis plura et audaciora exempla apud Tacitum leguntur, quae A. Draeger (Ueber Syntax und Stil des Tacitus, Leipzig 1882, p. 16—17.) collegit.

§ 2. Iam aggrediamur detractionem, quae nescio an saepissime a Suetonio adhibita sit, pronominis *is.* Nam et apud infinitivos et in sententiis integris saepe desideratur.

I. *Is* deest plenis sententiis,

a) ubi accusativus, raro dativus e verbo pendens positus esse debebat et

α) nomen ipsum in eodem ambitu legitur, ut facile subaudiatur, vel inest in verbo sententiae primariae scilicet ut subiectum. Iul. 12, 8—9 *sorte iudex in* reum *ductus tam cupide condemnavit.* Iul. 70, 4—5 *una voce, qua Quirites* eos *pro militibus appellarat, tam facile circumegit et flexit.* Simillimi sunt hi loci: Iul. 81, 27—28 Aug. 40, 3—4 Aug. 68, 28—29 Aug. 79, 20—24 Aug. 97, 25—27 Tib. 40, 18—20 N. 34, 8..

β) Nomen in antecedente ambitu invenitur. Iul. 1, 11—13 Corneliam — *duxit uxorem, ex qua illi mox Iulia nata est; neque ut repudiaret, compelli a dictatore Sulla ullo modo potuit.* Iul. 1, 20—24 veniam *impetravit. Satis constat Sullam, cum deprecantibus amicissimis et ornatissimis viris aliquamdiu denegasset — expugnatum tandem proclamasse.* Idem exhibent hi loci: Iul. 11, 32—36 Iul. 67, 33—37 Aug. 64, 17—20 Cal. 55, 8—14 G. 20, 16—20.

b) Ubi participium vel raro adiectivum vel pronomen vel etiam substantivum eodem casu appositum est, dativus vel accusativus pronominis *is* plerumque omittitur.

Exempla saepissime occurrunt neque quemquam fugiunt, ut satis habeam afferre, quae in Iulio leguntur: Iul. 1, 8—12 *sequentibus consulibus flamen Dialis destinatus dimissa Cossutia, quae familia equestri, sed admodum dives* praetextato *desponsata fuerat, Corneliam — duxit uxorem.* Iul. 4, 27—29 *non distulit, quin e vestigio classe deducta persequeretur* abeuntis *ac* redactos *in potestatem supplicio — adficeret.* Iul. 5, 34—35 *tribunatu militum, qui primus Romam* reverso *per suffragia populi honor obtigit.* Plane eodem modo se habent hi loci: Iul. 6,14. 7,18. 12,9. 14,30, 14,32. 18,38. 32,15. 44,12. 54,22. 59,6. 62,32. 62,33. 65,12. 65,16. 66,17. 68,1. 80,13. 80,14. 81,32. 82,14. 82,17. 82,18. 82,29.

Huc ille quoque locus pertinere videtur, qui est in Vespasiano c. 16, 31—33 *creditur procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promovere, quo* locupletiores *mox condemnaret.*

Contra eos locos, ubi pronomen appositum est participio, tredecim numeravi, quorum in Iulio leguntur quattuor: 7,25. 26,14. 49,37. 88,37.

c) Ubi ad sententiam relativam spectat pronomen *is*, in sententia superiore plerumque omittitur a Suetonio etiam iis locis, quibus alio casu positum esse debebat ac relativum pronomen.

Quod tam usitatum est, ut satis habeam eos locos afferre, qui aliquid notabile habeant.

Iul. 5, 36—1 *L. Cinnae uxoris fratri et qui cum eo civili discordia Lepidum secuti post necem consulis ad Sertorium confugerant, reditum in civitatem lege Plotia confecit.* Hoc loco dativum casum *eis* desideramus, qui respondeat vocibus *L. Cinnae uxoris fratri.* His quoque locis pronomen desideramus: Iul. 7, 21—23 *quod nihil dum a se memorabile actum esset in aetate, qua iam Alexander orbem terrarum subegisset*, et Aug. 5, 3—4 *esse possessorem ac velut aedituum soli, quod primum Divus Augustus nascens attigisset.*

Contra pronomen nonnumquam additum est, ubi deesse solet: Iul. 44, 13—15 *ea quae ad formam pertineant, non alienum erit summatim exponere.* Aug. 43, 27—29 *si quando quid invisitatum dignumque cognitu advectum esset, id extra ordinem quolibet loco publicare.* Vesp. 5, 2—3 *quidquid cogitaret volveretque animo quamlibet magnum, id esse proventurum pollicerentur.*

II. Pronomen deest apud infinitivum modum,

a. ubi subiecti loco positum esse debebat,

α) sed in antecedentibus ambitus partibus legitur (vel nomen ipsum), aut in verbo sententiae superioris inest. Huius generis plurima sunt exempla, e quibus pauca afferam. Iul. 6, 13—14 *cum* qua *deinde divortium fecit adulteratam opinatus a Publio Clodio.* Idem exhibent hi loci: Iul. 30. 14—18 Iul. 46, 35—10 Iul. 56, 1—4 Iul. 60, 14—16 Iul. 61, 24—27 Iul. 75, 32—34 Iul. 82, 25—27 Aug. 7, 25—29 Aug. 10, 8—13 Aug. 21, 32—38 Aug. 98, 1—5 Tib. 10, 1—2 Cl. 11, 30—34. Eodem modo deest pronomen apud gerundivum Iul. 14, 18—21 *praetor creatus detecta coniuratione Catilinae senatuque universo in* socios *facinoris ultimam statuente poenam solus municipatim dividendos custodiendosque publicatis bonis censuit.*

β) In proxima sententia pronomen vel nomen ipsum inest, ut non difficile tamen subaudiatur. Iul. 49, 26—31 *quo tempore — Octavius quidam —* ipsum *reginam salutavit. Sed C. Memmius etiam ad cyathum et vinum Nicomedi stetisse obicit.* Praeterea conferas hos locos, si tanti est: Iul. 50, 22—51, 24 Iul. 52, 3—8 Iul. 78, 34—1 Iul. 79, 17—23 Aug. 7, 16—19 Aug. 23, 25—28 N. 34, 21—29.

Difficilior est detractio, quod pronominis casus obliquus antecedit, his locis: Aug. 68, 33—69, 38 *sed et populus universus — accepit in contumeliam* eius *versum —: videsne ut cinaedus orbem digito temperat? adulteria exercuisse ne amici quidem negant.* Aug. 73, 18—21 *Instrumenti* eius *et supellectilis parsimonia apparet etiam nunc residuis lectis atque mensis, quorum pleraque vix privatae elegantiae sint. Ne toro quidem cubuisse aiunt nisi humili et modice instrato.* Aug. 97, 19—21 *sub idem tempus ictu fulminis ex inscriptione statuae* eius *prima nominis littera effluxit; responsum est centum solos dies posthac victurum.* Et in his omnibus locis facilius deerat pronomen, quod semper pro ipso imperatore, de quo tota vita est, dictum esse debebat, quod non pertinet ad hos locos: Tib. 53, 12—17 *quondam vero inter cenam — gustare non* ausam *etiam vocare desiit —; cum praestructum — esset, ut —* illa *quasi certissimum exitium caveret. Novissime calumniatus modo ad statuam Augusti modo ad exercitus confugere velle.* Cal. 25, 38—4 infantem *autem Iuliam Drusillam appellatam — Minervae gremio imposuit alendamque et instituendam commendavit. Nec ullo firmiore indicio sui seminis esse credebat quam feritatis.*

γ) Pronomen quamquam neque in ipsa neque in antecedente sententia legitur, tamen pars tota de eo est, cuius nomen apud infinitivum desideratur, scil. imperatoris ipsius fere etiam in initio novae partis. Exempla sunt: Iul. 45, 29 *etiam cultu notabilem ferunt.* Iul. 46, 35—36 *munditiarum lautitiarumque studiosissimum multi prodiderunt.* Praeterea laudo hos locos: Iul. 50, 8—9 Aug. 72, 33—34 Cal. 6, 2—4 Cal. 8, 25—35 Cl. 44, 3 Cl. 44, 8—10 Vesp. 16, 36.

b. ubi obiecti vice fungeretur, sed in antecedentibus partibus sententiae aliquo modo memoratur, qui loci rarissimi occurrunt.

Iul. 74, 33—35 *piratas, a quibus captus est, cum in dicionem redegisset, quoniam suffixurum se cruci ante iuraverat, iugulari prius iussit, deinde suffigi,* ubi *piratas* accusativus praepositus ad tres sententias pertinere videtur.

Varia genera detractionum pronominis inveniuntur in Claudio c. 3, 6—10 *avia Augusta pro despectissimo semper habuit, non affari nisi rarissime, non monere nisi acerbo et brevi scripto aut per internuntios solita. Soror Livilla cum audisset quandoque imperaturum, tam iniquam et tam indignam sortem p. R. palam et clare detestata est.*

III. *Is* deest ablativis absolutis.

Iul. 4, 16—18 *Cornelium Dolabellam consularem et triumphalem repetundarum postulavit* absolutoque *Rhodum secedere statuit.* Praeterea hos locos conferas quaeso: Iul. 9, 38—1 Tib. 14, 9—13 Claud. 26, 9 N. 23, 18—22.

IV. Porro in hac voce: *sub condicione si* pronomen a Suetonio omitti solet. Loci hi sunt: Iul. 68, 7 Cl. 24, 37 Vit. 6, 19.

§ 3. Etiam reflexivum pronomen nonnumquam Suetonius omisit in infinitivo modo. Iul. 23, 14—15 *qui sibi recepissent propugnaturos absentiam suam.* Aug. 5, 2—3 *(cum C. Laetorius)—hoc quoque patribus conscriptis allegaret esse possessorem ac velut aedituum soli.* Tib. 7, 34—35 *sed Agrippinam et abegisse post divortium doluit.* Cal. 15, 23—24 *et ante clare obtestatus deos neque legisse neque attigisse quicquam.* Etiam iuxta verbum *videri* nonnumquam pronomen reflexivum deest ut in Iulio 7, 26 *visus erat per quietem stuprum matri intulisse.*

§ 4. Praeterea eaedem detractiones leguntur in hoc libro, quae nusquam desunt. Breviter eas attingam, ne neglegentiae opprobrium subeam.

Vox paulo ante allata non repetitur,

a. ubi idem casus vel eadem verbi forma desideratur. Iul. 22, 31—33 *et initio quidem Galliam Cisalpinam Illyrico adiecto lege Vatinia* accepit; *mox per senatum Comatam quoque.* Eiusdem generis sunt multi loci.

b. ubi alius casus vel alia verbi forma atque antea legitur, subaudienda est.

Iul. 26, 21—22 *munus populo epulumque pronuntiavit in filiae memoriam, quod ante eum nemo* (scil. *pronuntiaverat,* nisi verbum latioris sensus velut *fecerat* subaudiendum esse censeas). Aug. 13, 38—1 *alios, patrem et filium, pro* vita *rogantis sortiri vel micare iussisse, ut alterutri concederetur.* Eodem pertinent hi loci: Aug. 23, 22—25 Aug. 92, 18—22 Aug. 100, 29—31 Tib. 21, 4—8 N. 56, 26—27 Vesp. 6, 23—26.

Ubi verba *posse, solere* similia in relativa sententia ponuntur, infinitivus non apponitur, si idem verbum in sententia superiore legitur. Talia sunt Iul. 21, 25—26 Iul. 41, 25—28 Iul. 44, 4—5.

§ 5. Ubi Suetonius rem aliquam affert et praedicit, cuius causa narraturus sit sequentia, quae res fere sententia finali continetur, verba *afferam* vel *narrabo* similia omittere solet.

Iul. 81, 27—28 *Cuius rei, ne quis fabulosam aut commenticiam putet, auctor est Cornelius Balbus.* Plane eodem modo hi loci scripti sunt: Aug. 42, 15—17 Aug. 51, 35—1 Cal. 49, 17—18 Cl. 15, 13—14.

§ 6. Ut iam vidimus accusativum pronominis *is* saepe non appositum esse ad verbum, ita alia quoque nonnumquam pronomina omisit, ut tamen facile suppleantur.

Tib. 26, 18—19 *ex plurimis maximisque honoribus praeter paucos et modicos non recepit.* Dom. 21, 14—15 *ut non temere super cenam praeter Matianum malum et modicam in ampulla potiunculam sumeret,* quibus locis subiungere mihi liceat G. 8, 38—2 *ne ad gestandum quidem umquam iter ingressus, quam ut secum vehiculo proximo decies sestertium in auro efferret* scil. *aliter,* quod multi editores (Oudendorpium et Baumgarten-Crusium laudo) addiderunt. Et facillime post vocem *iter* evanescere potuit.

§ 7. Nonnumquam e verbo aliquam rem negante contrarium rem affirmans assumendum est. Hunc solum locum Suetonianum deprehendi: Cl. 15, 26—29 *alium interpellatum ab adversariis de propria lite negantemque cognitionis rem, sed ordinari iuris esse agere causam confestim apud se coëgit.*

§ 8. Ad voces, quae comparationem quandam significant, haec comparatio non apponitur nonnumquam, sed supplenda est. Iul. 51, 24 *vel hoc disticho apparet iactato aeque a militibus* (scil. atque illud, quod supra allatum est c. 49, 5—8). Aug. 80, 3—4 *coxendice et femore et crure sinistro non perinde valebat.* Tib. 52, 29—30 *itaque ne mortuo quidem perinde affectus est.* vita Terentii (p. 294, 2) *mores, quos non perinde exprimeret in scriptis.* (De hac elocutione Becher Tac. ann. II 88, 16 disputavit.)

§ 9. Nomen, quod persaepe ad idem adiectivum vel nomen numerale apponitur, postea omitti notum est. Ita dicit Aug. 40, 6—7 *cum autem plerique equitum attrito bellis civilibus patrimonio spectare ludos e quattuordecim non auderent,* ubi Cicero Phil. 2, 18, 44 *ordines* adicit, sed Seneca ep. 44, 2 nomen omittit et iam Asinius Pollio in Ciceronis epistulis 10, 32, 2. Et saepe *aurei* ponit omissa *nummi* voce: Aug. 98, 2 Cal. 42, 34 Cl. 21, 27 O. 4, 38 Vit. 16, 26—27 Dom. 7, 17, Livium potissimum, ut videtur, secutus (38, 11, 8; 44, 26, 4), cum Cicero Phil. 12, 8, 20 *nummi* adiciat. Porro cum in Nerone 10, 16 *annua salaria* scripserit, tamen *annua* tantum dicit in Tiberio 50, 34, quo modo

dicendi iam Plinius ep. X 31, 2 (Keil) usus est. Minus usitata haec detractio est: Aug. 73, 25, ubi *forensia* scripsit omissa voce *vestimenta*; sed hoc loco levis est detractio, cum antecedat in versu vicesimo primo: *veste non temere alia quam domestica usus est.* Sed etiam in Caligula scripsit c. 17, 28 *forensia,* quam detractionem apud Petronium c. 56 ex. et C. I. L. VI 12649. 6 legimus. Et quod Suetonius et in Claudio 25, 9 et in Domitiano 4, 11 *popularia* scripsit pro *sedibus popularibus,* e nullo alio scriptore idem afferri video nisi e Tertulliano de spect. 3. Sed haud raro legitur *curulis* pro *sella curulis,* quod dixit N. 13, 1; idem Tacitus ann. I 75 hist. II 59 Plin. pan. 59 posuerunt. Hunc denique locum afferam, qui est in Claudio 34, 35—36 *bestiaris meridianisque adeo delectabatur.* Prius adiectivum saepe pro substantivo hac detractione dictum est (Cic. Sest. 64, 135 Vat. 17, 40 Sen. benef. 2, 19, 1), *meridiani* scil. *gladiatores* raro (Tert. apol. 15).

§ 10. Et quod Suetonius voces *tantum non* saepe posuit eodem fere sensu quo *paene,* haec quoque detractio est. Tib. 11, 16 *tantum non adversis tempestatibus Rhodum enavigavit* (scil. *non secundis, tantum non adversis).* Praeterea his locis *tantum non* legere me memini: Tib. 52, 30 Tib. 67, 10 Cl. 38, 14 Vit. 14, 35 Dom. 15, 23. Huius usus Drakenborchius ad Livium 4, 2, 12 exempla multa congessit.

De variis modis, quibus Suetonius usus est ad restrictionem efficiendam et qui ad detractiones pertinent, et de quibusdam particulae *nam* exemplis, quae huc pertinent, postea, ubi de adverbiis et particulis disputabo, verba facere in animo habeo.

V. De collocatione verborum.

Quoniam de perspicuitate et brevitate, qualis in Suetonii libris cognoscatur, disputatum est, nunc de collocatione verborum verba facere non ineptum mihi videtur. In qua varietate quadam nec non arte Suetonius usus est.

§ 1. In eis sane partibus, ubi multas sententias breves coniungit, de quibus iam dictum est (II § 1), nimia aequalitas nos nonnumquam offendit, quippe quae accusativo vel verbo incipere soleant vel finiri. Sed in longioribus sententiis amat Suetonius membra seiungere et plura saepe verba interponere inter partes eorum. Quae collocatio verborum apud optimos scriptores non inusitata saepe ideo videtur adhibita esse, ut clausula numerosa efficiatur,

quibus Suetonium quoque operam dedisse postea videbimus et vel haec pauca exempla docebunt.

I. Nomen seiunctum est ab attributo.

Iul. 5, 34—35 *tribunatu militum, qui* primus *Romam reverso per suffragia populi* honor *obtigit.* Iul. 10, 26—28 *adiecit insuper Caesar etiam gladiatorium munus, sed aliquanto* **paucioribus,** *quam destinaverat,* **paribus.** Iul. 14, 22—23 **quanta** *eos in posterum a plebe Romana maneret* **invidia.** Iul. 30, 8—9 *adversariis negantibus* **ullam** *se de re publica facturos* **pactionem.** Talia exempla plurima leguntur in hoc libro.

II. Nonnumquam duo membra ita permiscet, ut priore parte prioris posita priorem posterioris partem subiungat, tum prioris, postremo posterioris alteram partem adiciat, ut haec partes quasi formam a b a b exhibeant.

Iul. 7, 21—22 *quod nihil dum a se memorabile actum esset.* Iul. 19, 14 *qua maxime iniuria instinctus.* Aug. 94, 11 (p. 81) *Illo et praecipue ostento motum Caesarem ferunt.* Tib. 68, 14—15 *quamvis — arbitratu eam suo rexerit.* Cal. 26, 6—7 *quo propinquos amicosque pacto tractaverit.*

§ 2. Suetonius verbo finito sententiam claudere non ita amat, et saepe verbum paenultimum locum tenet. Et saepissime duos vel plures infinitivos modos e verbo pendentes ita collocat, ut verbum ipsum medium inter illos locum teneat.

Plurima exstant exempla in quibus Iul. 50, 8—9 *pronum et sumptuosum in libidines fuisse constans* **opinio est** *plurimasque et illustres feminas corrupisse.* Iul. 70, 3—4 Iul. 75, 28—29 Aug. 10, 8—10 Aug. 60, 10—12 Tib. 26, 21—23 Tib. 34, 9—11 Tib. 57, 35—37 Cal. 35, 16—18 Cal. 45, 26—28 Cl. 28, 1—2 Cl. 35, 15—18 N. 23, 10—13 N. 26, 32—34 N. 34, 22—25 G. 15, 6—7 Vit. 5, 13—16 Tit. 2, 14—16 Tit. 8, 1—2 (p. 240) Dom. 8, 3—5 gr. 8, 31—33 gr. 11, 16—18 gr. 20, 25—26 gr. 24, 17—20.

Etiam inter duos accusativos verbum ponitur in Iul. 35, 27—29 Cl. 1, 27—1 Vit. 11, 33—34 Dom. 8, 32—33.

Atque etiam sententia primaria finita et verbo finito posito nonnumquam adduntur membra quaedam, quae quasi inclaudicent neque concinnitati ambitus prosint. Iul. 37, 3—7 *primum et excellentissimum triumphum egit Gallicum — diverso quemque*

apparatu et instrumento. Iul. 49, 30—33 *sed C. Memmius etiam ad cyathum et vinum Nicomedi stetisse obicit cum reliquis exoletis pleno convivio accubantibus nonnullis urbicis negotiatoribus, quorum refert nomina.* Conferas quaeso hos quoque locos: Iul. 57, 26—28 Iul. 60, 14—16 Dom. 14, 30—32. Haec collocatio a Tacito saepius adhibita est, quod exempla a Draegero in libro laudato p. 96 allata docent. Contra rarissima est haec collocatio verborum, qua subiectum et verbum finitum sententiam claudunt, quae legitur in Iulio 12, 6—8 *quo praecipuo adiutore aliquot ante annos Luci Saturnini seditiosum tribunatum senatus coercuerat.*

§ 3. Hoc quoque iam supra (I § 8) commemoratum in memoriam revocare mihi liceat Suetonium quasi titulum et inscriptionem eam vocem in initio collocare solere, de qua verba facturus est, et omnino eum voces gravissimas in initio sententiarum ponere solere, imprimis si duae voces inter se opponuntur, non est cur miremur neque exemplis eget.

§ 4. Contra alterum sententiae locum pronomina personalia vel *is* persaepe obtinent ut voces levissimae, neque hoc mirum aut apud alios scriptores non est usitatum (qua de collocatione Jac. Wackernagel, Indogerm. Forsch. I, p. 406—413, plurimis exemplis congestis disputavit).

§ 5. Quod vero attinet ad traiectionem vel vocis vel membri alicuius in aliam sententiam, praecipue in relativam, e superiore sententia, nullum memorabile exemplum apud Suetonium inveni. Nam et haec traiectio in relativam sententiam usitata est, etiam ubi sensus eam non postulat velut in Aug. 83, 3—4, neque hoc genus dicendi mirum est, quod legitur in Aug. 78, 36 *ita ut vestitus calciatusque erat.* Et ita semper Suetonius scripsit: Cl. 34, 4 N. 48, 37 O. 8, 32. At in Caligula c. 45, 1—3 *renuntiantis coactum agmen sicut erant* loricatos *ad discumbendum adhortatus est* vocem *loricatos* non nominativo casu posuit, ut solet, sed accusativo, quem casum *loricati* in sententia superiore obtinent.*)

*) De hoc usu dicendi Nipperdey in editione Cornelii Nepotis (Pelop. c. 3, 2) disputavit multaque exempla congessit, quibus addi possunt: Liv. 23, 5, 1—23, 11, 5. Curt. 8, 2, 8—8, 3, 10—9, 7, 10. Flor. 1, 13, 10. Iust. 14, 4, 1—26, 2, 4. Sulp. Severus p. 185, 25 (ed. Halm). Ov. fast. 1, 424—6, 332—6, 493 met. 6, 237.

§ 6. De figura, quam Graeci χιασμόν vocant, hoc loco verba facere melius existimavi quam in ea parte, qua de figuris disputaturus sum. Est enim figura, quae certa quadam verborum collocatione efficitur. Quam figuram Suetonius non raro adhibuit et saepius in membris sententiarum singularum respondentibus vel contrariis, rarius in sententiis integris.

a. In membris sententiarum.

I. Attributa et appositiones hanc collocationem exhibent.

Iul. 45, 16—18 *fuisse traditur excelsa statura, colore candido, teretibus membris, ore paulo pleniore, nigris vegetisque oculis, valitudine prospera.* Apud primum, tertium, quintum adiectivum antecedit, apud alterum, quartum, sextum nomen ipsum. Eodem pertinent hi loci: Iul. 4, 23—24 Iul. 6, 3 Iul. 19, 4—5 Iul. 39, 38—1 Iul. 82, 34—35 Aug. 2, 38—2 Aug. 7, 27—28 Aug. 20, 17—18 G. 10, 1—3 Vit. 14, 22—23 Dom. 6, 23—24 gr. 20, 21—23 rhet. 1, 6—7 (p. 269).

II. Alia membra velut bina nomina vel adverbia vel participia vel infinitivi ita collocantur.

Iul. 9, 15—16 *pactum, ut simul foris ille, ipse Romae ad res novas consurgerent.* Iul. 26, 9—10 *eodem temporis spatio matrem primo, deinde filiam, nec multo post nepotem amisit.* Similes sunt hi loci: Iul. 41, 24—25 Iul. 83, 10—11 Aug. 8, 11—12 Tib. 1, 16—17 Tib. 46, 13—14 Cal. 17, 28—29 Cal. 53, 3—4 Cl. 29, 8—11 Cl. 45, 18—19 N. 5, 10—12 G. 15, 11—12 Vesp. 4, 6—8 (p. 227).

b. Duo vero verba finita hanc collocationem exhibent, simul cum nominativo vel accusativo casu.

Iul. 5, 38—2 *reditum in civitatem rogatione Plotia confecit, habuitque et ipse super ea re contionem.* Iul. 86, 15—16 *(suspicionem reliquit), quae religiones monerent et quae renuntiarent amici, neglexisse.* Aug. 1, 6—8 *et vicus celeberrima parte oppidi iam pridem Octavius vocabatur et ostendebatur ara Octavio consecrata* (quae collocatio efficit, ne *ara*, vox gravissima, alterum *et* statim sequatur). Praeterea conferas quaeso hos locos: Aug. 3, 7—8 Cal. 21, 3—5 Vesp. 16, 34—35.

§ 7. Sed etiam eandem collocationem verborum in membris talibus saepe legi apud Suetonium pauca exempla doceant.

Iul. 6, 12—13 *Pompeiam duxit Quinti Pompei filiam, L. Sullae neptem.* Jul. 13, 15—17 *ut plura ipse in eorum*

tribubus suffragia quam uterque in omnibus tulerit. Jul. 25, 6—9 *in Britannia classe vi tempestatis prope absumpta, et in Gallia ad Gergoviam legione fusa, et in Germanorum finibus Titurio et Aurunculeio legatis per insidias caesis*, quo in exemplo omnia membra incipiunt loco, in medio nomen habent, concluduntur verbo. Eadem collocatione membrorum usus quinque Caesaris triumphos enumerat in Iulio 37, 3—6. Similiter conformati sunt hi loci: Iul. 41, 26—28 Iul. 42, 22—23 Aug. 39, 37 Tib. 27, 4—5 Vit. 8, 14—15.

Interdum vero in hac ipsa aequalitate magna vis inest, quod tales loci docent: Cal. 54, 19—20 *battuebat pugnatoriis armis, aurigabat exstructo plurifariam circo.* G. 1, 10—13 *cum nutriri alitem, pangi ramulum placuisset, tanta pullorum suboles provenit, ut hodieque ea villa ad Gallinas vocetur, tale vero lauretum, ut triumphaturi Caesares inde laureas decerperent.* G. 18, 20—21 *observatum etiam est Kl. Ian. sacrificanti coronam de capite excidisse, auspicanti pullos avolasse.* O. 1, 24 *Quo facto sicut gloriam auxit, ita gratiam minuit.*

Utraque collocatio adhibetur in Iulio 50, 10—11 *Postumiam Servi Sulpicii, Lolliam Auli Gabini, Tertullam Marci Crassi, etiam Cn. Pompei Muciam.* Tib. 1, 13—14 *duodetriginta consulatus, dictaturas quinque, censuras septem, triumphos sex, duas ovationes adepta est,* ubi primum et alterum, quartum et quintum nomen chiasmi figuram exhibent, tertium eandem collocationem quam alterum et quartum praebet.

§ 8. Porro nonnumquam Suetonius verba inter se augentia vel contraria iuxta ponit, ut vis eorum magis eluceat et nonnumquam etiam rhetorica quaedam ars cognoscatur. Et hac de causa fortasse chiasmo aliquotiens usus est in exemplis supra laudatis velut in Iul. 19, 4—5 *nummos de suo, communi nomine* et similibus.

I. Altera vox auget alteram.

Cal. 8, 22—23 *Antium* omnibus semper *locis atque secessibus praelatum.* Cal. 24, 36—37 *Drusillam vitiasse* virginem praetextatus adhuc *creditur.* G. 13, 19—20 cuncti simul *spectatores consentiente voce reliquam partem rettulerunt.*

Eadem de causa eandem vocem iteravit et iuxta posuit. Aug. 29, 26—27 multaque *a* multis *tunc exstructa sunt.* Tib. 2, 20 multa multorum *Claudiorum egregia merita (exstant).* Tit. 7, 25—26 *Berenicen statim ab urbe dimisit* invitus invitam.

De hac positione, qualis in Plauti fabulis inveniatur, disputans A. Kiessling in museo Rhenano (XXIII p. 411 sqq.) hanc legem constituit nominativum (vel accusativum) praecedere alios casus, quam legem a Suetonio quoque observatam esse exempla allata docent.*)

II. Altera vox contraria est alteri. Iul. 20, 34—35 bis eundem *praeponentes*. Iul. 80, 30—31 *consilia* — *in* unum omnes *contulerunt*. Cal. 51, 9—10 *non immerito mentis valetudini attribuerim* diversissima in eodem *vitia*. G. 15, 14—15 solos ex omnibus *Neronis emissariis vel maleficentissimos incolumes praestitit*. Vesp. 16, 5—6 *quando et* male *partis* optime *usus est*. Tit. 8, 2—3 (p. 239) *primus praeterita* omnia uno *confirmavit edicto*.

§ 9. Sed a consuetudine optimorum scriptorum non nihil aberrat, ubi appositio sive magistratum sive propinquitatem indicans ad nomen proprium accedit; hanc enim praeponere amat nomini. Plurimi loci cum exstent, haec afferam: Iul. 1, 13 *(neque) compelli a dictatore Sulla ullo modo potuit*. Iul. 10, 23—24 *nec dissimularet collega eius Marcus Bibulus*. Iul. 29, 33 Iul. 50, 16 Iul. 74, 5 Iul. 79, 12—13 Iul. 79, 20 Iul. 84, 23 Aug. 65, 31—32 Aug. 94, 36—37 (p. 80) Aug. 100, 15 Tib. 50, 35 Tib. 53, 9 Cal. 12, 22—23 Cal. 15, 11 Cl. 3, 3 Cl. 3, 6 Cl. 11, 8—9. Hac collocatione Tacitus quoque saepe usus est. Locos Draeger in libro laudato p. 91—92 affert.

Rarius haec collocatio legitur, quae est in Aug. 64, 12—14 *Iuliam L. Paulo censoris filio, Agrippinam Germanico sororis suae nepoti collocavit*, et in Cal. 13, 9—10 *(exoptatissimus princeps) ob memoriam Germanici patris*.

Similiter adiectivum *magnus* semper, quantum memini, praeponitur nomini proprio, velut scripsit Suetonius: *Magnus Alexander* (Iul. 7, 20 Aug. 18, 26 Aug. 50, 29 Aug. 94, 3 (p. 80) Cal. 52, 1 N. 19, 32), praeterea *Magnus Pompeius* (Aug. 4, 23 gr. 15, 1). Etiam nomen gentile postposuit cognomini raro sane: Iul. 49, 17 *Calvi Licini*, Iul. 56, 37 *Pollio Asinius*, Iul. 82, 15

---

*) Eandem rem multis exemplis congestis E. Kellerhoff tractavit: De collocatione verborum Plautina quaestiones selectae. Studia in priscos scriptores Latinos collata ed. Guil. Studemund. vol. II p. 58—60.

Cimber Tillius. Plura huius collocationis exempla apud Tacitum exstant, quae Draeger in libro laudato p. 91 congessit.*)

§ 10. Ubi duo genetivi ex uno nomine pendent, rarissime illud antecedunt ut in Iulio 5, 36—37 *L. Cinnae uxoris fratri* et in Augusto 19, 7—8 *ne ultimae quidem sortis hominum conspiratione et periculo caruit,* aut circumcludunt ut in Tiberio 6, 9 *ut Liviae pars vestis et capilli amburerentur.* Saepissime nomen sequuntur. Iul. 49, 35—36 *florem aetatis a Venere orti.* Iul. 66, 19 *exspectatio adventus Iubae.* Praeterea hos locos cito: Iul. 68, 26—27 Iul. 73, 32 Iul. 81,21 Aug. 7, 16—17 Aug. 25, 19—20 Cal. 19, 19—20 Cl. 21, 38 (p. 158) Dom. 17, 35—36.

§ 11. Pronomina demonstrativa non semel post nomen posuit, quod contra naturam ipsam eorum esse videtur. Cal. 8, 11 *(epistula) scripta de Caio hoc* scil. qui supra commemoratus est, ut *hic* pro *idem* paene dictum videatur. *Eadem haec* legitur et in Caligula c. 8, 20 et in Vitellio c. 4, 2—3.

Etiam pronomen *talis* postposuit nomini his locis: Iul. 32, 15 *cunctanti ostentum tale factum est.* Cl. 44, 6—7 *quae boletum medicatum avidissimo ciborum talium obtulerat.* Saepius vero adverbium *admodum* postposuit nomini. Loci sunt hi: Iul. 56, 22 (p. 25) Tib. 10, 12 Tib. 11, 19 Tib. 26, 17 Vesp. 23, 24.

Bis Suetonius adverbium inter praepositionem et nomen interposuit: Cal. 53, 7—8 *(ut) exaudiretur a procul stantibus,* ubi sane *procul stantibus* paene unam efficiunt vocem, et gr. 16, 19—20 *post deinde damnationem mortemque Galli scholam aperuit.*

VI. De ornatu sermonis.

Iam de iis locis verba facturus sum, quibus Suetonius artis rhetoricae praescripta adhibuisse videtur. Quamquam enim libellus universus caret ornamentis sermonis atque elegantia quaesita, non tamen omnino desunt figurae, similitudines, similia, et fortasse saepius talia leguntur, quam opineris. Nonnulla iam supra attuli.

§ 1. Ac primo quidem de translationibus verborum disputabitur.

---

*) Exempla, quae apud scriptores optimae aetatis inveniuntur, collegit J. Curschmann: Zur Inversion der römischen Eigennamen. I. Cicero bis Livius. Buedingen 1900.

I. Saepe ut alii multi scriptores verbis *ardere, flagrare, exardescere* similibus Suetonius usus est. Quae translationes cum usitatae sint, satis habeo locos enumerare. *Flagrare*: Iul. 52, 7—8 Aug. 27, 38—1 Tib. 44, 26 G. 16, 18—19. *Ardere*: Iul. 55, 8—9 Iul. 70, 2—3 Cal. 25, 33—34 Dom. 22, 25—26. *Exardescere*: Tib. 34, 7—8. *Excandescere*: Cl. 40, 16—17 N. 40, 14—15 Vesp. 14, 5—6 rhet. 6, 28—29. *Urere*: Tib. 66, 1.

II. Etiam verbo *fundere* et compositis *effundere* et *profundere* saepe usus est et quidem isdem translationibus atque alii multi, qua de causa satis habeo hic quoque locos enumerare. *Fundere*: Aug. 73, 23. *Effundere*: Iul. 44, 9—10 Cal. 4, 28—30 Aug. 98, 27 Cal. 32, 16 N. 22, 34—35 N. 40, 13—14. *Profundere*: Tib. 42, 32—33 Iul. 13, 11 Cl. 33, 21—22 N. 4, 35—36 Vit. 10, 14—15 Tit. 7, 14—15 Tit. 7, 23 Aug. 72, 13 Aug. 75, 4—5.

III. Sed verbo *fluere* et compositis raro ita usus est, quae alii scriptores saepe translate usurpant. Tres locos hoc verbum translate exhibentes collegi: Aug. 2, 19 Tib. 52, 29 rhet. 1, 3 (p. 269).

IV. Etiam verbum *haerere* et quidem variis translationibus adhibuit. Nam in Nerone c. 56, 27—28 *alia superstitione captus, in qua sola pertinacissime haesit* et in Galba c. 4, 15—16 *veterem civitatis exoletumque morem ac tantum in domo sua haerentem* idem fere est quod *remanere, perseverare*, at in Augusto c. 71, 8 *circa libidines haesit* significat *non abstinuit*, et in Domitiano c. 12, 25—26 *neque eo setius in explicandis oneribus haereret* idem est quod *in angustiis esse*.

V. Porro saepe verbum, quod rem sub sensus cadentem significat, ad rem cogitatam transfertur, e quibus translationibus minus usitatas solas afferam.

Iul. 4, 32—33 *nutantes civitates retinere*. Vesp. 8, 34 *prope afflictam nutantemque rem publicam stabilire*. Aug. 17, 28—29 *societatem male focilatam abrumpere*. Aug. 68, 30—32 *pudicitiam delibatam substernere*. Cl. 6, 1 *damnum resarcire*. Cl. 11, 4—5 *comoediam coronare*. G. 5, 31 *legatum ad quingenta revocare*. G. 15, 6—7 *liberalitates revocare*. Vesp. 8, 8 *litteras revocare*.

VI. Nonnumquam verbum ad hominem solum pertinens ad rem vita carentem apposuit. Iul. 44, 1—2 (*exstruere*) *theatrum Tarpeio monti accubans*. Iul. 45, 25 *deficientem capillum revocare a vertice* (cuius usus Ludovicus Friedlaender in editione Iuvenalis I, 27 exempla congessit, quibus adiungi potest Laev. apud Ter.

Maurum 1931). Cal. 22, 4 *pontem transmittere.* Cal. 32, 10—11 *titulus praecedit.* N. 41, 36—37 *diem circumducere.*

VII. Nonnumquam verbum, quod certam rem effert, ad aliam tamen transfertur.

Velut verbum *exhaurire* numquam non translate usurpavit. N. 38, 30—31 *provincias privatorumque census prope exhausit.* Praeter hunc locum participium solum *exhaustus* posuit his locis: Iul. 42, 4—5 Iul. 79, 23—24 Cal. 38, 28 Cl. 44, 12 N. 32, 25 N. 38, 30—31 Vesp. 9, 33 Dom. 12, 22.

Idem de verbo *exuere* dici potest: Iul. 60, 20—21 Aug. 13, 32 *castris exuere*, Cal. 38, 15 *bonis exuere.* N. 32, 4—5 *non veste modo, sed et bonis exuere.* gr. 11, 18 *patrimonio exuere.*

Loco verbi *conviciari* vel *maledicere* compluribus translationibus est usus. *Carpere* verbum ita posuit, ut saepe legimus: Aug. 27, 5—6 Cal. 34, 38—2 Dom. 2, 30—31. Sed saepissime verbum *corripere* ita dixit: Aug. 53, 27—28 Tib. 32, 14—15 Cal. 45, 31—33 Cl. 38, 11—13 Cl. 41, 36 N. 35, 11—12 N. 39, 13—14 G. 5, 24—26 Dom. 2, 11. *Lacerare* hac translatione legimus his locis: Iul. 75, 35—37 Tib. 66, 6—7 Dom. 23, 33—34 gr. 9, 7—8 gr. 15, 5—7. Etiam verbo *proscindere* ita usus est: Aug. 13, 5—6 Cal. 30, 22—23. Bis verbum *taxare* legimus hac significatione: Aug. 4, 30 Dom. 10, 25—27, et semel compositum *retaxare*: Vesp. 13, 29—31, quod compositum hoc solo loco legitur.

Aliae translationes verborum commemoratione dignae hae sunt: Iul. 1, 22—23 *(Sullam) expugnatum tandem proclamasse.* Tib. 21, 2—3 *expugnatum precibus uxoris adoptionem non abnuisse.* Vesp. 22, 17 *expugnatus a quadam.* Iul. 24, 19—20 *Crassum Pompeiumque in urbem provinciae suae Lucam extractos compulit.* Tib. 37, 28—29 *quosdam per blanditias atque promissa extractos ad se non remisit.* G. 19, 33 *extractus rumoribus falsis.* Iul. 70, 4—5 *una voce—tam facile circumegit et flexit* (scil. *milites*). Aug. 16, 18 *prospectis biremibus Pompeianis terram legentibus.* Tib. 11, 13 *Ab Ostia oram Campaniae legens.* Aug. 83, 37—38 *ad pilam primo folliculumque transiit.* Tib. 69, 19—20 *quod fulmine afflari negetur id genus frondis.* Claud. 41, 27 *refrigeratus saepe a semet ipso* (scil. *favore* [*calore*] *privatus*).

§ 2. Nomina vero rarius translate poni consentaneum est. Hos locos afferam: Tib. 24, 19—20 *impudentissimo mimo* (ut recte emendavit Io. Fr. Gronovius, codd.: *animo*) *nunc adhor-*

tantis amicos increpans. Cal. 45, 38—1 *in hoc quoque mimo praeter modum intemperans.* O. 3, 25 *ne poena acrior mimum omnem divulgaret.* Cal. 15, 2—3 *nec minore scaena Ostiam (subvectos Mausoleo intulit).* Vesp. 7, 10 *ut claustra Aegypti optineret.* Vesp. 13, 28—29 *causidicorum figuras ac philosophorum contumaciam lenissime tulit.* Dom. 10, 1—2 *Hermogenem Tarsensem propter quasdam in historia figuras (occidit).*

Denominationem autem, quam Graeci μετωνυμίαν vocabant, his locis inveni:

Iul. 30, 13 *praetextum illi civilium armorum hoc fuit.* Iul. 38, 19—20 *annuam habitationem Romae usque ad bina milia nummum (remisit).* Iul. 46, 1—2 *in expeditionibus tessellata et sectilia pavimenta circumtulisse.* Aug. 36, 8—9 *ut centumviralem hastam—decemviri cogerent.* Dom. 15, 5—6 *repentina tempestate deiecto funere.*

Pauca adiectiva translate usitata subiungam:

Aug. 28, 36—37 *urbem—inundationibus incendiisque obnoxiam excoluit.* Aug. 43, 8 *ne (urbs)—grassatoribus obnoxia esset.* Dom. 2, 30—31 *(fratrem) saepe etiam carpsit obliquis orationi—bus et edictis.* gr. 4, 15—16 *ne scilicet sicci omnino atque aridi pueri rhetoribus traderentur.*

§ 3. Nonnumquam voces, quae affectum vel cogitationem animi significant, usurpantur, ubi affectus ille dicto factove exhibetur, qui usus et apud Graecos et apud Latinos scriptores late patet.

Exempla sunt apud Suetonium: Aug. 51, 4—6 *cum Aemilio Aeliano Cordubensi — obiceretur, quod male* opinari *de Caesare soleret.* Aug. 67, 16—17 *Cosmum servum gravissime de se* opinantem *non ultra quam compedibus coercuit.* Cal. 27, 12—13 *male de munere suo* opinatos *(condemnavit).* Tib. 58, 11—12 *dictum ullum factumve eius* existimatione *aliqua laesisse.* Aug. 66, 30—32 *Gallo et accusatorum denuntiationibus et senatus consultis ad necem compulso laudavit quidem pietatem tantopere pro se* indignantium. Cal. 23, 20—21 *per istius modi* indignitates *et* taedia *causa exstitit mortis* (scil. *aviae*). G. 16, 23—24 *praetorianos etiam* metu et indignitate *commovit.* Aug. 14, 19—20 *minimum afuit, quin periret concursu et* indignatione *turbae militaris.* Tib. 2, 15—16 *palam* optaverat, *ut frater suus Pulcher reviivisceret.* Cal. 31, 35—37 *identidem exercituum caedes, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terrae* optabat.

§ 4. Figuras rhetoricas raras legi iam dictum est et, quae inveniuntur, fortasse non semper consulto adhibitae sunt, sed e ludo grammatico vel ex aliis scriptoribus haustae.

I. Praeteritio, quam Graeci παράλειψιν vocant, his locis legitur: Iul. 49, 17—18 *omitto Calvi Licini notissimos versus.* Iul. 49, 21 *praetereo actiones Dolabellae et Curionis patris.* Iul. 49, 24 *missa etiam facio edicta Bibuli.* Aug. 51, 35 *ne enumerem.* Aug. 57, 9 *omitto senatus consulta.*

II. Figuram ligationis vel ζεῦγμα his locis inveni: Iul. 29, 4—5 *dimissis octo legionibus Transalpinaque Gallia.* Aug. 32, 18—19 *ne quod maleficium negotiumve impunitate vel mora elaberetur; elabi* enim propria significatione ad maleficium tantum pertinet. Aug. 39, 37—38 *alios poena, alios ignominia notavit, plures admonitione, sed varia,* ubi verbum latioris sensus ad *poenam* et *admonitionem* subaudiendum est ut *afficere.* N. 1, 13—14 *functi autem consulatibus septem, triumpho censuraque duplici*; dubito an non dici soleat *triumpho fungi,* sed *agere* vel *celebrare* supplendum videtur e verbo *fungi.* Vesp. 8, 27—28 *plebiscita de societate et foedere ac privilegio cuicumque concessis*; *concedere privilegium* rectum et usitatum, ad *societatem* et *foedus inire* vel *facere* vel simile verbum aliquod assumendum est.

III. Figura, quae ἓν διὰ δυοῖν vocatur quaeque in parataxi duorum nominum vel verborum posita est, quorum ut alterum ex altero pendeat, ratio postulat, non saepe legitur. Omitto enim locos, quibus duae voces idem fere significantes coniunguntur, velut Iul. 30, 17 *turbare ac permiscere* vel Aug. 3, 16 *hortatur et monet,* qualia ad unam notionem augendam atque premendam dicuntur (quos locos Baumgarten-Crusius in corollario p. 841—844 collegit).

Digni autem, qui afferantur, hi loci mihi videntur: Iul. 67,30 *post magnam pugnam atque victoriam,* ubi *pugna atque victoria* necessario unam notionem efficiunt (nos dicimus: siegreiche Schlacht). Et hac parataxi numerosa quoque clausula redditur. Similes sunt hi loci: Aug. 32,4 *ex consuetudine licentiaque bellorum civilium.* Cl. 10, 22—23 *senatu segniore in exequendis conatibus per taedium ac dissensionem diversa censentium.* N. 12,24 *in orchestram senatumque descendit.* G. 19, 29 *auctoritate et praesentia praevalere.* Vesp. 6, 21 *per occasionem ac licentiam omni rapinarum genere grassati.*

IV. Figuram, quae πρόληψις a Latinis quoque grammaticis vocatur, hoc uno loco deprehendi: Aug. 12, 27—28 *(Nursinos) extorres oppido egit*.

V. Epiphonema autem legitur et in Iulio c. 60, 20—21 *[nullum] hostem fudit, quin castris quoque exueret: ita nullum spatium perterritis dabat*, et in Nerone 52, 2—4 *ut facile appareret (versus) non tralatos aut dictante aliquo exceptos, sed plane quasi a cogitante atque generante exaratos: ita multa et deleta et inducta et superscripta inerant.*

VI. Figura, quae λιτότης vocatur, saepe usus est. Exempla vero tam trita atque usitata sunt, ut singula afferre operae pretium non sit. Saepe legimus *non sine, non nisi, non minor* vel *minus, non immerito, non omittere, non dissimulare* similia. Nonnumquam pro vocibus *omnis, universus, unusquisque* duabus negationibus ita usus est, ut sermonis vis maior fiat. Nam ita negationes collocare solet, ut altera alteram statim subsequatur. Hos locos collegi: Iul. 19, 6—7 Aug. 32, 8—10 Tib. 18, 33 Cal. 16, 10—11 Cal. 41, 15 Cl. 18, 5—6 G. 15, 11 Vit. 2, 14—15 Vesp. 2, 28 Tit. 5, 22—23.

VII. Repetitionem vel anaphoram his locis legi: Tib. 2, 20—21 **multa** *multorum Claudiorum egregia merita*, **multa** *etiam sequius admissa in rem publicam exstant.* Tib. 41, 25—27 *ut postea* **non** *decurias equitum umquam supplerit,* **non** *tribunos militum praefectosque,* **non** *provinciarum praesides ullos mutaverit.* Eadem figura legitur his locis: Tib. 50, 3—4 Tib. 61, 31—33 Cal. 6, 10—11 Cal. 26, 9—10 Cl. 3, 6—7 Cl. 37, 29—30 N. 12, 6—10 N. 40, 16—18 N. 43, 20—22 G. 10, 14—15.

VIII. Figura, quae ἀπὸ κοινοῦ vocatur, non raro legitur. De cuius figurae usu apud Plautum praecipue nec non apud alios scriptores Leo in Analectis Plautinis I disputavit. Qui cum exempla magna cum cura partitus sit et disposuerit, tamen eum sequi non possum, cum omnia fere apud Suetonium exempla eius modi sint, ut attributum, sive adiectivum sive genetivus casus nominis illud est, ad duo nomina pertinens ad alterum solum ponatur. Et tales loci plurimi apud Suetonium leguntur velut Iul. 24, 25—26 *disciplina cultuque Romano* et Aug. 65, 35—36 *mortem quam dedecora suorum.*

Porro adhibetur figura, ubi particulis respondentibus distincta vel seiuncta sunt nomina, ad quae adiectivum semel positum pertinet. Iul. 35, 15—16 *neque loco neque tempore aequo.* Iul. 70, 8

et praedae et agri destinati. Aug. 3, 4—5 *et re et existimatione magna.* G. 6, 12—13 *neque testimonium neque praemia ampliora.*

Raro haec duo nomina aliis vocibus seiuncta sunt. Aug. 10, 26 *necem avunculi vindicare tuerique acta.* Cl. 11, 31—32 *tribunis modo ac centurionibus paucis.* Cl. 37, 29—30 *nulla adeo suspicio, nullus auctor tam levis exstitit.*

IX. Saepius illud adiectivum inter duo nomina collocat, ut figura διὰ μέσου efficiatur, quae collocatio et ipsa saepe numerosam reddit clausulam. Iul. 48, 10—11 *domesticam disciplinam in parvis ac maioribus rebus diligenter adeo severeque rexit.* Aug. 24, 31—32 *in re militari et commutavit multa et instituit.* Aug. 33, 37 *quos fraude ad signandum vel errore inductos constitisset.* Aug. 35, 19 *(senatorum numerum) ad modum pristinum et splendorem redegit.* Aug. 45, 26 *seu studio spectandi ac voluptate.* Aug. 48, 1—2 *promptissimus affinitatis cuiusque atque amicitiae conciliator et fautor.* Tib. 21, 7 *vitiis Tiberii virtutibusque perpensis.* Tib. 30, 27—28 *conservatis senatui ac magistratibus et maiestate pristina et potestate.* Cal. 6, 10—11 *non solaciis ullis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit.* Cal. 24, 11—12 *reliquas sorores nec cupiditate tanta nec dignatione dilexit.* Cal. 55, 6—7 *ut cenaret in stabulo assidue et maneret.* Et ita saepius locutus est.

X. Nonnumquam Suetonius adiectivum non ad nomen, ad quod pertinet, apposuit, sed ad aliud nomen cum illo coniunctum, quae figura ἐναλλαγή vocatur.

Tib. 16, 5 *delegatus pacandae Germaniae status.* Recte dicitur *status Germaniae delegatus*, etiam *status pacandus delegatus,* ut legitur in Iulio c. 56, 23 (p. 25) *ordinandas bibliothecas delegare* et in Caligula c. 57, 7—8 *Cassium Longinum — occidendum delegare,* sed ad *Germaniam* Suetonius hoc participium apposuit libere, quasi in animo habuisset scribere *delegatus Germaniae status,* et *pacandae* epexegetice adiectum est. Iul. 41, 26—27 *de cetero numero candidatorum* dictum pro *de numero ceterorum candidatorum,* et fortasse in Augusto 16, 11—12 *die circensium proximo* pro *proximorum* dictum est, et N. 46, 30—31 *a simulacris gentium — dedicatarum* pro *dedicatis* dictum videtur.

§ 5. Et quoniam de collocatione verborum, quae chiasmus vocatur, dictum iam est, pauca sunt, quae de ornatu sermonis adici possint.

I. Hanc elocutionem rhetoricam, quae est in Cal. 13, 6—7 *sic imperium adeptus populum Romanum — vel dicam hominum genus? — voti compotem fecit,* nullo alio loco Suetoniano legere me memini.

II. Voce *immo* saepius Suetonius usus est hac quidem significatione, si res contraria antecedentibus vocibus affertur, semel vero, ubi verbum augetur atque exaggeratur sequenti: Aug. 98, 10—11 *permissa, immo exacta iocandi licentia.*

III. Voces similis soni a nonnullis scriptoribus consulto coniungi notum est; sed ubi talia apud Suetonium leguntur (ut in Iulio 20, 15 *universos diversae*), qui loci rari sane sunt, haec vix excogitata atque quaesita, sed fortuita sunt excepto fortasse uno loco: Cal. 50, 3—4 *tribus nocturnis horis quiescebat ac ne iis quidem* **placida** *quiete, sed* **pavida** *miris rerum imaginibus,* quod ideo crediderim, quia *pavidus* paulo audacius pro *turbata, territa quiete* dictum est et vix alibi cum ablativo coniungitur.

IV. Postremo hoc breviter commemorabo easdem voces paucis interiectis iterare Suetonium non dubitasse. Velut legimus in Iulio 2, 5—6 *non sine* **rumore** *prostratae regi pudicitiae, quem* **rumorem** *auxit,* et in Tib. 61, 4—6 *nemo punitorum non in Gemonias* **abiectus** *uncoque* **tractus,** *viginti uno die* **abiecti tractique.** Ita persaepe Suetonius voces repetivit.

VII. De concinnitate.

Haec fere sunt, quae de ornatu atque elegantia sermonis Suetoniani dici possint. Nunc talem rem allaturus sum, quae dubitare possis sitne studium varietatis et consilium, an socordia neglegentiaque appellanda. Concinnitati enim figuris atque artibus oratoriis efficiendae nullam operam dedit et vix ullum locum invenies, qui comparari possit cum iis, quos Eduardus Norden de concinnitate Minucii Felicis nec non aliorum scriptorum disputans (De Minucii Felicis aetate et genere dicendi. Greifswald 1897 p. 16—29) attulit. Immo inconcinna elocutione saepe usus est, cum membra eiusdem sententiae eundem locum atque ordinem obtinentia diversum in modum saepe extulerit, ita ut substantivum et adverbium vel substantivum cum praepositione et sententia integra respondeant, quod genus dicendi apud Tacitum usitatissimum est, cuius exempla collegit et disposuit Draeger in libro laudato p. 99—101.

§ 1. Haec membra sunt attributa unius nominis atque adiectivum et nomen e praepositione pendens vel genetivo vel ablativo casu positum inter se respondent.

Iul. 68, 3—4 *gratuitam et sine frumento stipendioque operam.* Iul. 77, 30—31 *tristia et sine corde exta.* Aug. 6, 7—8 *locus — permodicus et cellae penuariae instar.* Aug. 26, 4—5 *magistratus atque honores — quosdam novi generis perpetuosque.* Aug. 60, 13—14 *(reges) togati ac sine regio insigni.* Aug. 78, 1 *residua diurni actus aut omnia aut ex maxima parte.* Aug. 84, 17 *(sermones) scriptos et e libello.* G. 10, 15—16 *iustum piumque et faventibus diis bellum.* Dom. 2, 7—9 *expeditionem — neque necessariam et dissuadentibus paternis amicis incohavit.*

§ 2. Adverbium vel adiectivum respondet substantivo e praepositione pendenti vel ablativo vel genetivo casu posito.

Iul. 1, 23 *sive divinitus sive aliqua coniectura.* Iul. 20, 31—32 *unus — omnia — et ad arbitrium administravit.* Iul. 75, 12 *medios et neutrius partis.* Aug. 35, 29 *et religiosius et minore molestia.* Aug. 49, 20 *perpetuo ac sine difficultate.* Aug. 66, 8—9 *parcius aut citra honorem verborum.* Aug. 72, 33—34 *continentissimum — ac sine suspicione ullius vitii.* Aug. 79, 20 *vel in sermone vel tacitus.*

§ 3. Adiectivum et adverbium iuxta posuit his locis:

Aug. 39, 1 *taciti et ibidem statim.* Cal. 54, 17—18 *artes studiosissime et diversissimas exercuit.* Cl. 21, 20 *munera plurifariam ac multiplicia exhibuit.*

§ 4. Aliam quandam inconcinnitatem exhibent hi loci:

Aug. 65, 7—8 *in continentem lenioribusque paulo condicionibus transtulit.* Cl. 2, 29 *alieni arbitrii et sub paedagogo fuit.*

§ 5. Saepissime vero nomen vel membrum et sententia tota inter se respondent.

Iul. 4, 18—20 *et ad declinandam invidiam et ut — Apollonio Moloni — operam daret.* Iul. 18, 33—34 *incertum metune iudicii — an quo maturius sociis implorantibus subveniret.*

Simillimi sunt hi loci: Iul. 80, 30—31 Aug. 2, 28—29 Aug. 7, 16—18 Aug. 12, 27 Aug. 15, 28—29 Aug. 25, 17—18 Aug. 32, 14—16 Aug. 47, 23—24 Aug. 66, 38—1 Aug. 99, 7 Tib. 24, 17—19 Tib. 49, 14—15 Tib. 67, 18—19 Cal. 14,

27—28 Cal. 27, 12—14 Cal. 39, 28—29 Cal. 50, 1—2 Cl. 33, 16—18 N. 16, 31—32 G. 10, 9—10.

§ 6. Postremo unum locum adiungam, qui ad hanc partem pertinere videtur, quippe in quo ex eodem verbo et duo infinitivi pendeant et sententia particula *ne* incohata sine ullo sensus discrimine: Iul. 88, 3—5 *curiam, in qua occisus est, obstrui placuit Idusque Martias parricidium nominari, ac ne umquam eo die senatus ageretur.*

§ 7. Contra vero res diversas membris plane eiusdem modi atque structurae efferri in duobus locis animadverti.

Tib. 10, 6—7 *honorum satietatem ac requiem laborum praetendens* (quod est *propter satietatem et requietis causa*). Tib. 72, 26—29 *sustentavit aliquamdiu, quamvis Misenum usque devectus nihil ex ordine cotidiano praetermitteret — partim intemperantia* (*propter intemperantiam*), *partim dissimulatione* (*dissimulationis causa*).

VIII. De dissolutione.

Iam vero aggrediamur ἀσύνδετον vel dissolutionem, quae latissime patet apud Suetonium, et in qua recte vituperatur. Et consulto eam antea in parte de figuris non tractavi, cum non cum arte quadam ad sermonem ornandum ea usus sit Suetonius aut ad affectum quendam exprimendum, sed cum summa neglegentia et indiligentia, cum alii scriptores Latini summam operam navaverint, ut sententias inter se coniungerent apte et rationem, quae intercederet inter eas, indicarent. Itaque particula *autem* potissimum apta ad sententias continuandas non saepe in hoc libello legitur.

§ 1. Et, ubi narratio rerum gestarum procedit et inter singulos ambitus nulla ratio intercedit, nisi ut prior sententia antecedat posteriorem, ibi sententias fere non conecti non est cur miremur. Sed tamen propter brevitatem sententiarum Suetonianarum haec dissolutio magis sentitur quam apud eum scriptorem, qui longos ambitus efficere amet, quod tales loci docent: Aug. 8, 35—37 *quadrimus patrem amisit. Duodecimum annum agens aviam Iuliam defunctam pro contione laudavit. Quadriennio post virili toga sumpta.* Aug. 15, 23—28 *Perusia capta in plurimos animadvertit. — Scribunt quidam trecentos — mactatos. Exstiterunt*

qui traderent. Eiusdem modi sunt dissolutiones in Augusto c. 17, 14, 17, 18. c. 18, 25, 29. c. 22, 15, 16. c. 23, 18. c. 32, 12, 13, 14, 20, 23. c. 44, 7, 7, 10, 12.

§ 2. Atque etiam brevissimae sententiae, quales supra (II § 1) attuli N. 16, 36—17 vel Tib. 61, 23—38, coniunctione omnino carent, quin etiam per magnas libelli partes sententias, quae ad vocem vel sententiam quasi titulum praefixam illustrandam pertineant, omnino non inter se coniunxit. Ut omnes dissolutiones, quae leguntur in Iulio c. 20, 1—20, ita intellego, ut sententiae explicent verba in initio capitis posita *unus omnia administravit* antea dicta in versu tricesimo primo et altero. Eiusdem modi dissolutiones his locis leguntur: Iul. c. 25. c. 26, 24—33. c. 37. c. 38. c. 39. c. 41, 22—34. c. 43. c. 46. c. 47. c. 48. Aug. c. 24. c. 26. c. 36. c. 37, imprimis vero c. 51—61, quae capita abundant dissolutionibus, quales in omnibus vitis occurrunt.

§ 3. Nonnumquam verbum ipsum in initio sententiae cum antecedente non conexae posuit, quod quandam coniunctionem efficere videtur. Aug. 11, 18 *adicit his Aquilius Niger.* Aug. 21, 27—28 *coercuit Dacorum incursiones.* Idem legitur c. 23, 25. c. 27, 17 saepius.

§ 4. Nonnullis locis vox in priore sententia posita in initio posterioris repetitur. Aug. 20, 17—19 **Delmaticum** *(bellum) adulescens adhuc, et Antonio devicto Cantabricum.* **Delmatico** *etiam vulnera accepit.* Aug. 29, 3—5 *(exstruxit)* **forum** — **templum** — **aedem.** Iam sequitur versu 5 **fori** *exstruendi causa fuit,* v. 9 **aedem** *Martis,* v. 14 **templum** *Apollinis.* Aug. 31, 25—29 *(restituit) sacrum* **Lupercale**, *ludos* **Saeculares** *et* **Compitalicios.** **Lupercalibus** *vetuit* — **Saecularibus** *ludis prohibuit* — **Compitales** *Lares ornari instituit.*

§ 5. Atque etiam talibus locis, ubi pronomine relativo coniunctionem efficere facile sit, demonstrativo posito dissolutionem constituit. Aug. 2, 12—13 *reliquiae ad Octavios referrentur. Ea gens.* Aug. 23, 21—22 *(cladem) Varianam paene exitiabilem tribus legionibus cum duce legatisque et auxiliis omnibus caesis. Hac nuntiata.* Simillimi sunt loci Aug. 34, 3—5 Aug. 43, 10—13 Aug. 47, 31—32 Aug. 49, 24—26 Aug. 78, 38—3.

At ne demonstrativum quidem pronomen positum est hoc loco: Aug. 94, 1—3 (p. 81) *sumenti virilem togam tunica lati*

clavi, resuta ex utraque parte, ad pedes decidit. Fuerunt qui interpretarentur non aliud significare. Nomen autem ipsum cum pronomine demonstrativo iteravit in Caligula 19, 12—17 *Baiarum medium intervallum ad Puteolanas moles — ponte coniunxit. — Per hunc pontem commeavit.*

§ 6. Ab omnibus vero scriptoribus dissolutio saepe adhibetur, ubi sententiae contraria significant. Ita legimus Aug. 10, 8—10 priore *(proelio) Antonius fugisse eum scribit* —, sequenti *satis constat.* Aug. 14, 19—20 *minimum afuit, quin* periret *concursu et indignatione turbae militaris.* Saluti *fuit.* Conferas quaeso hos locos non absimiles: Aug. 17, 18—22 Aug. 20, 17—21 Aug. 66, 30—34 Aug. 71, 3—8.

§ 7. Alia ratio inter sententias non coniunctas raro intercedit. Particula causam indicans desideratur in Augusto c. 63, 36—38 *ex Livia nihil liberorum tulit, cum maxime cuperet. Infans, qui conceptus erat, immaturus est editus.* Aug. 71, 13—14 *nec id dubium est. Autographa quadam epistola ait.* Tib. 24, 28—29 *recepit imperium nec tamen aliter, quam ut depositurum se quandoque spem faceret. Ipsius verba sunt.*

§ 8. Contra loci, qui accuratam atque diligentem sententiarum conexionem exhibeant, rari leguntur. Imprimis attulerim Iulii capita 65 et 66.

§ 9. Quod attinet ad sententias inferiores, exempla dissolutionis invenire possis in iis exemplis, quae in parte de chiasmo et contraria collocatione scripta attuli. Eodem loco etiam nonnulla dissolutionis inter membra exempla attuli, ut satis habeam pauca subiungere.

Iul. 55, 8—9 *pronuntiasse dicitur voce acuta, ardenti motu gestuque, non sine venustate.* Aug. 11, 15—16 *ut Antonio fugato, re publica consulibus orbata solus victores exercitus occuparet.* Aug. 52, 21—22 *genu nixus deiecta ab umeris toga nudo pectore deprecatus est.*

Dissolutio bimembris sollemnis, de qua Siegismundus Preuss libellum edidit (de bimembris dissoluti apud scriptores Romanos usu sollemni. Edenkoben 1881), raro legitur apud Suetonium. Loci sunt hi: Tib. 21, 11 N. 27, 17—18 N. 49, 22 *hinc inde.* Cal. 19, 17 *ultro citro,* fortasse Dom. 2, 27 *clam palam* (vide Preuss p. 32).

§ 10. Praeterea in enumerationibus dissolutio locum habet velut in Iulio 37, 3—6 *primum et excellentissimum triumphum egit Gallicum, sequentem Alexandrinum, deinde Ponticum, huic proximum Africanum, novissimum Hispaniensem*, et Aug. 9, 20—21 *bella civilia quinque gessit: Mutinense, Philippense, Perusinum, Siculum, Actiacum.*

§ 11. Polysyndeta perpauca afferre possum.

Iul. 1, 13—14 *et sacerdotio et uxoris dote et gentilicis hereditatibus multatus.* Iul. 31, 3—6 *et spectaculo publico per dissimulationem interfuit et formam, qua ludum gladiatorium erat aedificaturus, consideravit et ex consuetudine convivio se frequenti dedit.* Aug. 27, 1—7 *et Pinarium equitem Romanum — coram confodi imperavit; et Tedium Afrum consulem designatum — tantis conterruit minis, ut is se praecipitaverit; et Quintum Gallium praetorem (iussit occidi).* Aug. 91, 9—10 *ipse per omne ver plurima et formidulosissima et vana et irrita videbat.* Cal. 37, 21—24 *et iactae moles infesto ac profundo mari et excisae rupes durissimi silicis et campi montibus aggere aequati et complanata fossuris montium iuga.*

IX. De clausulis numerosis.

§ 1. Iam aliam rem breviter attingam, conclusionem sententiarum, quam ad certos numeros esse redactam imprimis ab oratoribus nec non a diligentibus, qui elegantiam affectant, aliisque scriptoribus notum est. Et Suetonium quidem hanc artem omnino omisisse atque neglexisse omnes fere iudicabunt. Sed fatendum permultas clausulas numerosas apud eum inveniri, quas non fortuitas esse re accuratius inspecta nemo non sibi persuadebit. Tamen a severitate in clausulis efficiendis tantum abest, ut etiam numeri falsi nonnumquam apud eum inveniantur, imprimis dactylus + trochaeus: Aug. 12, 29 *occubuisse.* Aug. 29, 21 *exanimasset.* Aug. 47, 26—27 *saepius adiit.* Aug. 59, 1—2 *Aescula pi statuerunt.* Aug. 59, 8 *constituerunt.* Aug. 85, 34 *incubuisse.*

Ex his exemplis cum colligi possit numerosam clausulam non quasi legem inviolabilem Suetonio fuisse, operae pretium non duxi omnes, quae leguntur, perscrutari atque in eas inquirere, qualibus imprimis vocibus atque formis earum, quali verborum collocatione usus sit ad eas efficiendas et qualem libertatem vel varietatem numerorum admiserit. Has enim quaestiones

non posse diiudicari existimavi, cum Suetonius numerosam conclusionem non semper effecerit. In universum hoc monebo Suetonium ut ceteros solutae orationis scriptores elisionem vocalis vocem claudentis ante vocem vocali incipientem observasse velut poetas, quod exempla infra allata docebunt. Itaque satis habui clausulas, quae exstant in vita Augusti, perscrutari et paucis exemplis allatis de iis disputare.

§ 2. Ditrochaeus persaepe occurrit, cuius longae syllabae dissolvi possunt velut Aug. 47, 32 *non adierit.* Aug. 65, 12 *a lique vetuit.* Aug. 32, 17 *re petere vellet.* Aug. 64, 27 *adequitarent,* et breves syllabae produci possunt, ut dispondeus efficiatur, velut legimus Aug. 6, 11 *confirmata.* Aug. 25, 3 *pen sari posset.* Aug. 80, 5—6 *con firmabatur.* Aug. 93, 2 *collaudavit.* Aug. 98, 30 *lo cum contendit.* Aug. 100, 19 *deportarunt.* Si alterius spondei prior longa syllaba dissolvitur, tales clausulae efficiuntur: Aug. 25, 27 *cali gatis tribuit.* Aug. 34, 5 *maritan dis ordinibus.* Aug. 48, 37—38 *alienige nis contribuit.* Aug. 49, 7—8 *provincia tim distribuit.* Aug. 49, 22 *no vis constituit.*

Ditrochaeum denique persaepe creticus antecedit.

Aug. 1, 7—8 *Oc tavio consecrata.* Aug. 1, 9 *hostis incursione.* Aug. 6, 13 *cubi tum se eo contulisset.* Aug. 10, 37 *mer cedis impertiente.* Aug. 11, 16 *ex ercitus occuparet.* Aug. 27, 30 *Oc tavi in aedilitate.* Aug. 27, 8 *veste tectas tenentem.*

§ 3. Altera clausula legitima dicreticus est, pro quo molossum + creticum et fortasse etiam choriambum + creticum admisit; prior vel posterior longa syllaba dissolvuntur.

a. molossus + creticus.

Aug. 38, 25 *praefectu ras alarum dedit.* Aug. 40, 37 *to gatum consistere.* Aug. 42, 35 *rati onem deduceret.* Aug. 61, 19 *su premum vitae diem.* Aug. 66, 27 *for tuna provexerat.* Aug. 74, 36 *permanerent digresso eo.* Aug. 97, 12 *os tentis praecognita est.*

b. choriambus + creticus.

Aug. 27, 26—27 *a cerbius exercuit.* Aug. 35, 1 *quisque animum intenderet.* Aug. 56, 2—3 *iudiciali data.* Aug. 79, 19—20 *aut etiam scriberet.* Aug. 82, 30—31 *ungue batur enim saepius.* Aug. 84, 15 *institu it recitare omnia.*

c. quartus paeon + creticus.

Aug. 2, 17 *patriciatum redit.* Aug. 8, 5 *i tineris industriam.* Aug. 16, 22 *inter ficere conatus est.* Aug. 19, 10 *rapere ad exercitus.*

Aug. 23, 29 *foribus illideret.* Aug. 23, 31 *ha buerit ac lugubrem.* Aug. 81, 11—12 *aliquot expertus est.*

d. primus paeon + creticus.

Aug. 51, 34—35 *magna documenta sunt.* Aug. 101, 10 *atque recitata sunt.* Aug. 101, 20 *le gata varie dedit.*

e. creticus + quartus paeon.

Aug. 19, 16 *quaestione potuit.* Aug. 31, 8 *au ferre sustinuerat.*

§ 4. Longe frequentissima apud Suetonium clausula est creticus + trochaeus. Libertates in ea admissae sunt usitatae, longae syllabae dissolvuntur, brevis cretici syllaba producitur. Neque hoc exemplis eget.

§ 5. Haec quoque clausula, quae constat trochaeo vel spondeo et cretico quaeque exitum trimetri iambici efficit, a Suetonio nonnumquam posita est. Quam a Cicerone quoque adhibitam esse Ernestus Mueller in libello qui inscribitur de numero Ciceroniano, Berolini 1886 p. 8 et p. 27—29 docuit. Exempla sunt: Aug. 3, 11 *ordinem dato.* Aug. 13, 11 *tractari querentibus.* Aug. 52, 22 *deprecatus est.* Aug. 16, 12 *de i detraxerit.* Aug. 46, 17—18 *Romam mitterent.* Aug. 66, 33 *su am conquestus est.*

§ 6. Praeterea tales locos praetermittere nolui, quibus plures pedes quam solent sententiam concludunt. Et nonnullos iam proposui, ubi creticus ditrochaeum antecedit.

I. cr. + cr. + tr.

Aug. 13,9 *collocandos recepisset.*

Aug. 17, 24—25 *cu iusque sustinuit ac fovit.*

Aug. 18, 32 *militari opere detersit.*

Aug. 19,38—1 *coniu rationesque complures.*

Aug. 21, 34 *bellicam gloriam augendi.*

Aug. 27, 31 *Satur ninus hoc amplius tradit.*

Aug. 29, 23—24 *Octavi ae theatrumque Marcelli.*

Aug. 30, 3 *sa cras vetustate conlapsas.*

Aug. 34, 9 *perti naciter postulante equite.*

Aug. 37, 10 *administran dae rei publicae caperent.*

Aug. 40, 5 *ut potestate transacta.*

Aug. 40, 11 *ne gotiis avocaretur.*

Aug. 40, 28 *(a liber) tate iusta removisse.*

Aug. 43, 11—12 *maio rum minorumque puerorum.*

Aug. 43, 14 *aureo torque donavit.*

Aug. 45, 5—6 *matro nam ministrasse compererat.*

Aug. 49, 24 *pro vincia quaque gereretur.*

Aug. 50, 30—31 *principes perseverarunt.*

Aug. 56, 31 *the atro et a stantibus plausum.*

Aug. 58, 26 *le gatione Antium missa.*

Aug. 58, 33—34 *res pondit Augustus his verbis.*

Aug. 62, 34—35 *unice ac perseveranter.*

Aug. 70, 21 *auc tore notissimi versus.*

Aug. 77, 33—34 *per fusum aquā frigidā panem.*

Aug. 78, 1—2 *maxima parte conficeret.*

Aug. 79, 28 *senec ta sinistro minus vidit.*

Aug. 79, 35—36 *proceri oris intellegi posset.*

Aug. 81, 14 *meden di necessario subiit.*

Aug. 82, 23 *tibi alibus muniebatur.*

Aug. 84, 13—14 *ex temporali facultate.*

Aug. 89, 33—34 *admone batque praetores.*

Aug. 94, 33 (p. 80) *familiaribus forte narrabat.*

Aug. 96, 3—4 *cuncta in ipsos recasura.*

Aug. 96, 9—10 *castro rum suorum locum vertit.*

Aug. 97, 18 *conscrip tis paratisque iam tabulis.*

Aug. 97, 20 *nominis littera effluxit.*

Aug. 101, 15 *propin quos amicosque compluris.*

Aug. 101, 27—28 *vetu it sepulcro suo inferri.*

II. cr. + cr. + ditr.

Aug. 27, 8 *duplices veste tectas tenentem.*

Aug. 56, 4 *postulabatur iniuriarum.*

Aug. 78, 38 *lucubratoriam recipiebat.*

III. cr. + tr. + ditr.

Aug. 97, 27 *iure dicendo detinerent.*

IV. cr. + cr. + cr.

Aug. 38, 22 *celeri us rei publicae assuescerent.*

Aug. 44, 4—5 *or do vacaret senatoribus.*

Aug. 49, 26—27 *a loco perferunt litteras.*

Aug. 53, 29 *serio vel ioco passus est.*

Aug. 84, 9 *la boriosissime exercuit.*

Aug. 84, 17—18 *mi nusve loqueretur ex tempore.*

Aug. 87, 24—25 *horta tur ferenda esse praesentia.*

Aug. 94, 36—37 (p. 79) *Thraciae exercitum duceret.*

Aug. 99, 14 *extulerunt eum in publicum.*

V. cr. + tr. + dicr.

Aug. 27, 9 *inveniretur ausus inquirere.*

VI. cr. + tr. + cr. + tr.

Aug. 1, 11 *publicum exstabat, quo cavebatur.*

Aug. 32, 22 *ducenario rum vocaretur iudicaretque (de levioribus summis).*

Aug. 56, 25 *supplicabatque more sollemni.*

Aug. 88, 4—5 *mi rum videretur tradidisse aliquos.*

VII. dicr. + cr. + tr.

Aug. 16, 35—36 *commeatus famemque ingravescentem.*

Aug. 24, 34 *disciplinam severissime rexit.*

Aug. 27, 11 *ac fatentem nihil iussit occidi.*

Aug. 45, 3 *pu gnas severissime semper exegit.*

VIII. cr. + dicr. + cr. + tr.

Aug. 49, 21 *ad tuendos eos prosequendosque suppeteret.*

Aug. 61, 16 *pace belloque re publica fuerit exposui.*

Denique hunc locum non praetermiserim, qui est in Caligula c. 1—8, qui Suetonii virtutes vel maxime exhibeat et cum cura et arte scriptus sit, ut Germanici fatum dolere videatur, cuius virtutes et gratiam et apud cives et apud exteras nationes magna vi et cum affectu quodam animi ante oculos posuerit.

Pars II. De quibusdam proprietatibus sermonis Suetoniani.

Quoniam genus universum dicendi pro viribus meis adumbravi, singula quaedam ante oculos ponere in animo habeo, quae praecipue mihi Suetonii propria esse videntur, vel quae Thimmius et Baggeus omiserunt.

I. De substantivis.

De declinationibus Thimmius p. 5—20 disputavit, de significationibus verborum et structuris minus usitatis vel alienis a veterum consuetudine Baggeus p. 4—55. Graecas voces, quas plurimas Suetonius usurpavit, collegit Thimmius p. 27—35.

§ 1. Suetonius e nominibus non solum genetivum casum pendentem facit nonnumquam satis audacter, quod vidimus (pars I, II § 4), sed etiam nomina cum praepositionibus coniuncta multo saepius et audacius quam scriptores prioris aevi (vide Thimmium p. 60 § 1 et p. 36—37 § 3), qui recte dicit levissime hoc ferri in substantivis a verbis derivatis velut Iul. 5, 38—1 *reditum in civitatem*. Iul. 58, 34 *accessum ad insulam*. Raro collocatio nominum structuram leniorem reddit: Iul. 35, 21—22 *urgentibus de Pharnace nuntiis*. Iul. 84, 26 *perpauca a se verba addidit*. Cl. 18, 37—38 *positis ante se cum pecunia fiscis*. Alia exempla Thimmius collegit. Fortasse adici possunt Aug. 71, 3—4 *ex quibus sive criminibus sive maledictis infamiam impudicitiae facillime refutavit*. Aug. 72, 1 *sine marmore ullo aut insigni pavimento conclavia*. Cal. 57, 2—3 *altero ostento periculum a custodibus domino portendi*. N. 35, 1—2 *Burro praefecto remedium ad fauces pollicitus toxicum misit*.

§ 2. Ad nomina propria ipsa vel genetivum vel ablativum, quem vocamus qualitatis, vel adiectivum vel nomen cum praepo-

sitione coniunctum apponere non veretur. Pauca huius sermonis exempla iam in Ciceronis libris exstant velut Cluent. 107 *L. Cassius, Cn. Heius pari et integritate et prudentia* et Brutus 237 *L. Turius parvo ingenio sed multo labore.* Plura exempla invenies in hac disputatione: Edwards—Woelfflin: Von dem sogenannten Genetivus und Ablativus qualitatis — Archiv für Lat. Lexikographie u. Gram. XI. p. 471—476. E. Suetonio hos locos laudo: Iul. 63, 36—37 *L. Cassium partis adversae.* Tib. 74, 15—16 *Apollinem Temenitem et amplitudinis et artis eximiae.* Praeterea G. 14, 27—28 Vesp. 3, 33—35 Vesp. 8, 14—15 Vesp. 13, 29—30 Tit. 4, 6—7 Dom. 15, 19—20 gr. 18, 38 — Iul. 39, 27—28 Vit. 6, 22—23 Tit. 1, 1 Tit. 4, 4—5 rhet. 5, 30.

Et genetivus et ablativus pendent e nomine proprio Cal. 25, 31—33 *Caesoniam neque facie insigni neque aetate integra matremque iam ex alio viro trium filiarum, sed luxuriae ac lasciviae perditae,* quem locum Edwards l. l. de hac ipsa re disputans omisit. At quod in Vitellio c. 2, 22—23 legimus *P. Vitellius domo Nuceria sive* ille *stirpis antiquae sive pudendis parentibus atque avis,* causa additi pronominis particula *sive* est.

§ 3. Et infinitivus modus nec non sententiae integrae coniunctionibus *ut, ne, quasi* incipientes e substantivis pendent, qui usus non multo latius patet apud Suetonium quam apud scriptores prioris aetatis.

Nomen *suspicio* iam Cicero cum infinitivo coniunxit, Suetonius his locis: Iul. 9, 35—36 Iul. 86, 13—14 Tib. 12, 20—22 Cal. 60, 16—17 Cl. 1, 7—8.

Neque minus usitatus est infinitivus e nomine *fama* pendens, quem Suetonius posuit: Iul. 6, 14—16 Iul. 33, 32—33, Iul. 79, 22—23 N. 21, 9—12 N. 28, 36 vita Ter. (p. 293, 5—6).

Etiam *rumor* a Cicerone et Livio ita dictus est; a Suetonio tribus locis: Aug. 11, 14—15 Tib. 33, 1 Vesp. 6, 2—4.

Nec non nomen *opinio* a Cicerone cum infinitivo coniunctum est. Suetonius ita scripsit ter: Iul. 50, 8—9 N. 53, 7—9 Vesp. 4, 31—32.

Et saepe ita *spes* legitur et apud Ciceronem et apud Livium, apud Suetonium uno loco, quod meminerim, Tib. 24, 28—29.

Ut *metus* iam Livius, Cicero *timor* (de or. II 82, 334) cum infinitivo coniunxit, ita legimus Iul. 19, 6—7 *quos metus ceperat nihil non ausurum eum.*

Denique nomen *mos* saepe Suetonius cum infinitivo coniunxit, ut saepissime Livius (3, 55, 12. — 10, 42, 7. — 30, 17, 13. — 37, 24, 4.) nec non Cicero (or. 44, 151). Loci sunt Aug. 43, 12—13 Aug. 97, 16 G. 1, 13—14 rhet. 6, 10—11.

Porro *religio* ita legitur Aug. 6, 9—10 *huc introire nisi necessario et caste religio est* (eodem modo Fabius Pictor apud Gellium X 15, 3—4 scripsit nec non Livius 2, 62, 2—5, 40, 8).

Eodem modo, quo Suetonius dixit Vesp. 7, 25—26 *cum vix fides esset ullo modo rem successuram,* nomen *fides* Ter. haut. 571, Liv. 21, 13, 3 posuerunt.

Contra magis e poetarum sermone mutuata videntur haec: Iul. 82, 33—34 *fuerat animus coniuratis corpus occisi in Tiberim trahere, bona publicare, acta rescindere.* (Verg. aen. 4, 639: *(sacra Jovi) perficere est animus finemque imponere curis.* Ov. met. 5, 149—150 *namque omnibus unum opprimere est animus)* — et O. 6, 16—18 *Tulerat animus post adoptionem statim castra occupare cenantemque in Palatio Galbam aggredi.* (Ov. met. 1, 1 *in nova fert animus mutatas dicere formas corpora.*)

Similiter dixit Cal. 56, 15—16 *Ita bacchantem atque grassantem non defuit plerisque animus adoriri.*

Etiam *persuasio* raro cum infinitivo coniungi videtur. Apud scriptores optimae aetatis vox omnino non legitur. At Suetonius Tib. 69, 17 *plenus persuasionis cuncta fato agi.*

Ne *fiducia* quidem saepe ita legitur ut in O. 5, 16 *haud dubia fiducia in ipso negotio pluris adfuturos.*

Sed epexegetice infinitivus positus est Iul. 52, 2—3 *(C. Oppius) librum edidit non esse Caesaris filium, quem Cleopatra dicat.*

Coniunctio *ut* coniungitur cum talibus nominibus solis, ad qualia omnes scriptores particulam addiderunt velut *consuetudo est.* Et in Tiberio c. 18, 5—7 *monitionem addere* idem fere est quod verbum *monere.*

Nomen *condicio* semper ablativo casu ita posuit: G. 15, 6—9 Vit. 15, 29—32 Dom. 9, 26—28 (ut Cicero quoque).

Denique *negotium* hoc loco cum *ut* particula coniunxit: Cal. 22, 21—23 *dato negotio, ut simulacra numinum religione et arte praeclara — apportarentur e Graecia.*

Particula *ne* vero his locis e substantivis pendet: Iul. 19, 18—19 *societatem cum utroque iniit, ne quid ageretur in re publica,* quae sententia epexegetice apposita est, ut antea infini-

tivus in Iulio 52, 2—3. Aug. 40, 36—37 *negotium aedilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro circave nisi positis lacernis togatum consistere.* Aug. 94, 16—17 (p. 81) *metu ac pudore, ne minor inveniretur.* Tib. 13, 1—2 *sub condicione, ne quam partem curamve rei publicae attingeret.* Tib. 26, 23—24 *permisit ea sola condicione, ne inter simulacra deorum, sed inter ornamenta aedium ponerentur.*

Et Suetonius quidem *sub condicione* et *condicione* posuit sine ullo discrimine sensus, Cicero *sub condicione* nondum dixit, sed Plinius (ep. IV 13, 10. VIII 18, 4) et Phaedrus IV 5, 8. Suetonius nonnumquam etiam *sub condicione si* scripsit Iul. 68, 7 Cl. 24, 37 Vit. 6, 19 nullo discrimine.

Minus usitatus sermo videtur his locis: N. 18, 18—19 *verecundia, ne obtrectare parentis gloriae videretur, destitit.* G. 14, 2—4 *concessum a Claudio beneficium, ne hieme initioque anni ad iudicandum evocarentur, eripuit.* O. 9, 16—17 *pudore, ne tanto rerum hominumque periculo dominationem sibi asserere perseveraret.*

Porro saepissime *quasi* et rarius *tamquam* e substantivis *opinio, rumor, infamia, invidia* similibus pendent. Loci sunt hi: Aug. 6, 10—11 Tib. 39, 5—7 Aug. 6, 8—9 Aug. 14, 17—19 Tib. 11, 14—16 Vit. 16, 24—25 Aug. 94, 23—24 (p. 80) Tib. 8, 14—15 Tib. 44, 26—31 Tib. 75, 35—36 Tit. 5, 24—25 Dom. 20, 20—21.

Quaestio pendet e nomine in Claudio c. 15, 34 *nullo delectu culpane quis an aliqua necessitate cessasset.*

§ 4. At nonnullos locos inveni, quibus Suetonius ad nomen, ne infinitivus modus aut sententia inferioris ordinis ex eo penderet, vel participium vel sententiam relativam apposuit.

Aug. 1, 11—13 *decretum etiam publicum exstabat,* **quo cavebatur,** *ut in posterum quoque simili modo exta Marti redderentur reliquiaeque ad Octavios referrentur.* Tib. 23, 14 *aucta suspicio est* **opinantium** *successorem ascitum eum.* Haud absimiles sunt hi loci: Aug. 94, 14—15 (p. 79) Tib. 14, 16—18 Vit. 1, 5—9 Vit. 14, 14—15 Dom. 14, 5—9 vita Ter. (p. 293, 38—294, 1).

Eadem fortasse causa fuit, cur non infinitivum, sed genetivum nominis cum participio coniunctum e nomine nonnumquam pendentem fecerit.

Iul. 2, 5—6 *non sine rumore prostratae regi pudicitiae.* Tib. 19, 17—18 *expressa confessio est cogitati facinoris.* Cal. 12, 33—34 *quoniam suspicionem retinentis dabat.* Cl. 43, 25—26 *signa quaedam nec obscura paenitentis de matrimonio Agrippinae deque Neronis adoptione dederat.* N. 40, 10—11 *ut gaudentis etiam suspicionem praeberet.* O. 7, 5 *nullum indicium recusantis dedit.*

§ 5. Denique mirus videtur sermo hoc loco: Aug. 27, 27—28 *illis in multorum saepe* personam *per gratiam et preces exorabilibus,* ubi *persona* idem valere videtur quod *ordo dignitas auctoritas.*

II. De adiectivis.

De adiectivis dicenda videntur haec:

§ 1. Praepositionibus *per* et *prae* ea augere amat. Nonnulla talium compositionum ab aliis scriptoribus non sunt adhibita. (De hoc modo adiectiva augendi Eduardus Woelfflin in libello qui inscribitur Lat. und rom. Komparation p. 26—27 disputavit.) Omitto autem in his adiectivis enumerandis usitata velut *perparvus, perpauci.* Aug. 6, 7 Tib. 47, 29 *permodicus* Tib. 28, 13 *percivilis* Vit. 2, 8 *perinfamis* Vesp. 4, 15 *perosus* gr. 9, 3 *persenex.* Adverbia: Tib. 50, 1 *perindigne* N. 35, 38 Tit. 10, 1 *persancte.*

Praepositionem *prae* his adiectivis praeposuit: Iul. 35, 24 *praeferox* Aug. 70, 33 *praecupidus* Aug. 72, 17 Tib. 60, 7 Tib. 68, 3 *praegrandis* Tib. 49, 17 gr. 3, 22 *praedives* Tib. 63, 6 N. 41, 30 *praetrepidus* N. 30, 15 Vit. 2, 27 *praelautus* G. 3, 6 *praepinguis* G. 21, 30 *praecalvus* (quod non intellexerim cum Baumgarten-Crusio *in anteriore parte capitis calvus,* sed *admodum calvus*) G. 22, 1 *praedurus.*

Adverbium: O. 8, 34 *praepropere.*

Praepositionem *de* adiectivo additam non inveni nisi huic soli: N. 30, 14 *deparcus,* praepositionem *ex* hoc loco: Cal. 50, 24 *expallidus,* praepositionem *in* Dom. 20, 9 *incanus,* praepositionem *sub* his adiectivis anteposuit: Aug. 79, 29 N. 51, 22—23 *subflavus* Vit. 17, 5—6 *subdebilis* Dom. 20, 8—9 *subrutilus.*

§ 2. Porro saepissime Suetonius comparativo gradu et adiectivorum et adverbiorum usus est, ubi vera comparatio duarum rerum non efficitur, sed gradus quidam paullo maior usitato indicatur. Nonnumquam vero eodem modo quo positivo gradu utitur,

et illa comparatio ne animo quidem subaudiri potest. Qui usus apud omnes fere posterioris aetatis scriptores latissime patet.

Exempla cum in toto libro plurima exstent, ea, quae in Iulio leguntur, afferre satis habeo: Iul. 14, 29—31 *manus equitum Romanorum — immoderatius perseveranti necem comminata est.* Iul. 16, 10—12 *multitudinem — operam — tumultuosius pollicentem compescuit.* Iul. 19, 15—16. 20, 10. 29, 36—37. 30, 10—12. 35, 19—20. 45, 20—21. 45, 31. 47, 5—6. 49, 28. 56, 14—15. 68, 12. 75, 30—31.

Persaepe *paulo* vel *aliquanto* ad comparativum apposuit. (Iul. 45, 17 *ore paulo pleniore,* Aug. 90, 37 *paulo infirmius,* Tib. 7, 1 *aliquanto gravius,* Tit. 10, 30 *aliquanto tristior*).

Etiam *plures* saepe posuit eadem fere significatione qua *complures.* Iul. 76, 19 *magistratus in pluris annos ordinavit.* Iul. 81, 10—11 *pluribus hostiis caesis.* Simillimi sunt hi loci: Aug. 21, 11 Aug. 43, 1—2 N. 1, 21—22 Tit. 3, 28 Tit. 8, 3—4 (p. 240).

De comparativo gradu nominum *dexter* et *sinister* Smilda p. 30 disputavit. Quater legitur pro positivo (Tib. 6, 17—18 Cl. 7, 10 G. 21, 33 Dom. 17, 28), positivus contra ter (Aug. 20, 19 Cal. 57, 10 Vit. 9, 32), cui addendus est locus in Iulio c. 82, 23 *sinistra manu.*

§ 3. Superlativo gradu Suetonius non raro usus est et eos quoque adhibuit, qui rarissime aut omnino non apud alios scriptores legantur, quamquam positivus vel etiam comparativus gradus saepius legitur.

Iul. 5, 36 *enixissime iuvit* (comparativus Tib. 50, 8 G. 3, 23 et apud Livium 29, 1, 18—37, 8, 3 legitur). Iul. 47, 5 *animosissime comparasse* (ex aliis scriptoribus superlativus non affertur, ne *animosissimus* quidem). Iul. 75, 35—36 *criminosissimo libro,* Tib. 53, 21 *criminosissime insectatus est* (aliud exemplum non inveni). Aug. 70, 20—21 *epistulae singulorum nomina amarissime enumerantis,* Tib. 54, 37—38 *amarissime congestis probris* (*amarissimus* saepius legitur, adverbium in Augustini confessione 4, 6). Aug. 71, 7 *vasa assiduissimi usus* (superlativum et Cic. Brut. 91, 316 et Frontin. aqu. 104 posuerunt). Aug. 75, 10 *inaequalissimarum rerum* (aliud exemplum non affertur). Aug. 93, 33 *reverentissime coluit* (in Plinii epistulis X 21 (Keil) legitur superlativus). Aug. 98, 33—34 *remississimo animo* (cuius superlativi aliud exemplum non inveni). Tib. 2, 17 *notatissimum*

est (Cic. dom. 9, 23). Tib. 13, 34—35 *impensissimis precibus*, Dom. 20, 38 *impensissime reparare* (ne hunc quidem inveni apud ullum scriptorem, comparativus Cl. 11, 7—8 et apud Livium 37, 56, 10 legitur). Tib. 45, 4 *evidentissime apparuit* (Dig. 23, 3, 57 superlativum exhibent). Tib. 66, 3—4 *diversissime adficiebatur* (*diversissimus* saepius, adverbium non alibi invenitur). Cal. 22, 28—29 *excogitatissimas hostias* (at Dom. 14, 5—6 *excogitatum honorem* scripsit). Cal. 51, 16—17 *minacissimus* (Augustin ep. 118, 4). Cl. 18, 34 *sollicitissime egit* (Sen. ep. 93, 12). N. 29, 8 *persuasissimum habuisse* (idem Col. 12, 1, 5 Cic. fam. 11, 9, 2). N. 51, 25—26 *luxuriae immoderatissimae* (comparativus apud Gellium 19, 12, 4, superlativus nusquam legitur).

§ 4. Ne hoc quidem praetermittam hoc loco Suetonium non raro diversos gradus coniunxisse, quod non ita usitatum mihi videtur. Vide quid Guilelmus Kroll de hac re in museo Rhenano vol. 52 p. 586—587 disputaverit.

I. E duobus (vel pluribus) adiectivis alterum comparationem non admittit: Iul. 27, 4—5 Iul. 44, 3—4 Iul. 52, 29 Aug. 91, 9—10 Cal. 38, 29—30 N. 11, 27 N. 33, 28—29 N. 51, 23—24.

II. Illud quoque adiectivum, quod positivo gradu posuit, comparationem tamen admittit: Iul. 50, 9 Aug. 61, 16—17 Aug. 84, 8—9 Aug. 87, 21—22 Tib. 11, 27—28 Cal. 54, 26—28 Cl. 34, 26—27 N. 7, 10—11 Vit. 14, 20—21 gr. 17, 29—30.

§ 5. Porro et pro adverbio et ad tempus indicandum adiectivis neutrius generis e praepositionibus pendentibus saepe usus est.

Ita legitur: **I.** *in posterum* Iul. 14, 22 Iul. 40, 17 Aug. 1, 12 Aug. 18, 33 Aug. 27, 33 Aug. 28, 2 Cl. 3, 2 N. 5, 14 Vesp. 6, 35 Tit 6,9, *in perpetuum* Iul. 26, 31 Aug. 16, 27 Aug. 65, 15 Cal. 17, 30 Cal. 25, 31 Cl. 11, 31 Cl. 23, 23—24 Cl. 25, 2—3 Vit. 8, 28 (*perpetuo* Tit. 8, 3 p. 240), *in serum* Aug. 17, 38 N. 22, 22 O. 11, 9, *ad extremum* Iul. 35, 12 Aug. 19, 6—7 Tib. 38, 38 (*extremo* Vesp. 7, 26), *ad breve* Tib. 68, 5, *ad praesens* Tit. 6, 10 (cum Tib. 22, 4 *in praesentia* substantivum esse videatur, pluralem enim numerum in talibus vocibus non adhibuit), *in praeteritum* Dom. 9, 29—30.

II. *ex compacto* Iul. 20, 18 (*compacto* Aug. 15, 28), *in proximo* Iul. 32, 16 Iul. 65, 9, *e diverso* Iul. 86, 19 Aug. 27, 34 Dom. 9, 17, *ex improviso* Aug. 16, 15 Aug. 94, 15 et 16 (p. 80) O. 9, 14, *ex destinato* Cal. 43, 37—38 (*destinato* Iul. 60, 14),

ex composito Cl. 37, 3, *in commune* N. 15, 17, *ex inopinato* G. 10, 16—17, *ex professo* Tit. 9, 21—22. Eodem sensu Suetonius ablativum quoque casum adhibuit (confer Baggeum p. 84 ex.).

§ 6. Adiectiva in modum substantivorum ab eo poni vix opus est commemorare. Nonnulla tamen posuit, quae antea nondum vel perraro ita leguntur.

Triumphalis Iul. 4, 17 Aug. 25, 29 Cal. 3, 6 (vox *vir* addita est Aug. 30, 1 N. 30, 22—23), *quaestorius* Aug. 2, 18 O. 3, 29, *laticlavius* Aug. 38, 26 N. 26, 37, *provincialis* Cal. 39, 31 Vesp. 9, 36 (pluralis numerus iam a Cicerone positus est), *scaenicus* Tib. 34, 6 N. 11, 36 N. 21, 3 N. 42, 15 G. 15, 8 (pluralis numerus iam a Cicerone usurpatus), *incendiarius* Vit. 17, 2 (Tac. ann. 15, 67 eodem modo dixit), *patinarius* Vit. 17, 2—3.

§ 7. Et cum adiectiva, quae cum genetivo liberius prioribus scriptoribus coniunxit, Baggeus p. 87 enumeraverit, hoc monebo etiam praepositiones ex adiectivis pendere his locis: Aug. 8, 2 *firmus a gravi valetudine*. Tib. 35, 24 *uxorem in stupro generi compertam* (genetivus usitatus est cf. Tac. ann. 1, 3). Tib. 68, 34 *latus ab humeris et pectore*. Vit. 14, 18 *suspectus et in morte matris fuit* (quod tamen usitatius est).

Multis locis voce *obvius* verbo non addito cum dativo usus est: Iul. 63, 37 Iul. 85, 5 Aug. 94, 25 (p. 80) Vesp. 13, 36.

Nonnumquam adiectiva eadem significatione structuraque posuit ac participia.

Iul. 72, 19 *rerum potens*. Tib. 11, 38 *laetus nuntio*. Cal. 50, 4 *quiete pavida miris rerum imaginibus*. G. 7, 22—23 *provinciam et intestina dissensione et barbarorum tumultu inquietam*. G. 12, 7—8 *Germanorum cohortem — multis experimentis fidelissimam*.

§ 8. Suetonius numquam *alius — ac* scripsit, semper *alius — quam*. Quod minus mirum est eis locis, quibus adiectivum negatur, quod sane est in omnibus fere, quos afferre operae pretium non duxi. Unum locum deprehendi, ubi *alius quam* nulla negatione addita legitur: N. 2, 26 *quod alium quam se in patris sui locum cooptassent*.

Sed praecipue in deliciis habuit dicere *nihil aliud quam* nec non *nihil amplius quam* eadem significatione qua *tantummodo*. Quod genus dicendi vera detractio est, et satis audacter

ea verba Suetonius nonnumquam interposuit, ita tamen, ut vox, quae particulam *quam* sequatur, magnam vim exhibeat (confer Smildam p. 40). Et cum Tacitus nonnisi duobus locis hac elocutione usus sit (Draeger in libro laudato p. 70—71), Suetonius, ut iam dixi, saepissime ita scripsit. Ut legimus Iul. 20, 29—30 *ut domo abditus nihil aliud quam per edicta obnuntiaret.* Aug. 83, 38 *nihil aliud quam vectabatur et deambulabat.* Idem his locis legitur: Tib. 73, 36—37 N. 43, 34 Vesp. 5, 19—20 Dom. 21, 17—18.

Quibus locis simillimus est hic, qui est in Claudio 10, 12—13: *commilitones fluctuantis nec quicquam adhuc quam frementis,* ubi *aliud* omissum est.

Hic usus, quo ad *nihil aliud* verbum *facere* subaudiendum est, ortus est e talibus sententiis, in quibus *nihil aliud* vicem vel subiecti vel obiecti obtinet, velut his locis: Aug. 32, 15—16 *ex quorum sordibus nihil aliud quam voluptas inimicis quaereretur.* Aug. 98, 25—26 *cum ille nihil aliud responderet quam.*

Idem de *nihil amplius quam* dicendum est, quod obiectum est velut his locis: Aug. 2, 27—28 *ipse Augustus nihil amplius quam equestri familia ortum se scribit,* et Aug. 7, 24—25 *et ipse nihil amplius quam mirari se rescribit,* quod non cadit in Cal. 44, 19—21 *nihil amplius quam Adminio — in deditionem recepto* et Cl. 4, 17—18 (p. 150) *legato non amplius quam octingentorum sestertiorum prosecutus.* Praeterea *nihil amplius quam* legitur Tib. 32, 29—30 Cl. 16, 26 N. 39, 21 G. 19, 29 Vesp. 3, 37 Vesp. 20, 36 Tit. 9, 11 Dom. 3, 33 gr. 1, 8.

III. De adverbiis.

§ 1. Cum deinceps de adverbiis disputaturus sim, particulam *quam* eodem modo ad *non aliter* apposuit, sive illud veram comparationem efficit ut in Augusto c. 48, 2—3 *nec aliter universos quam membra partisque imperii curae habuit,* sive exceptionem vel condicionem aliquam ut in Aug. 40, 22—23 *non aliter se daturum, quam si praesens sibi persuasisset.*

Ita saepe Suetonius dixit; *non alibi quam* scripsit in Augusto 23, 18—19 *graves ignominias cladesque duas omnino nec alibi quam in Germania accepit.* Eodem modo legimus *nihil aeque quam* — semper enim *nihil* praecedit adverbium in exemplis Suetonianis — his locis: Aug. 64, 24 Aug. 89, 21 Cl. 16, 12—13 Cl. 35, 5 N. 41, 21—22 G. 4, 4—5. At *non aliter atque* legimus O. 6, 34—35 *obvio quoque non aliter ac si conscius et*

particeps foret adhaerente, et *nihil aeque ac* Iul. 12, 9—10 *ut ad populum provocanti nihil aeque ac iudicis acerbitas profuerit.*

At numquam legitur apud Suetonium *secus* vel *perinde quam* praeter Dom. 15, 37—38, sed ubi comparatio additur, quae tamen saepius deest, particula *ac* utitur his quidem locis: Aug. 17, 22—24 Tit. 11, 7—8 Aug. 35, 38—2 Aug. 88, 1—2 Cal. 10, 6—7 rhet. 1, 1—2 (p. 268).

In Nerone autem c. 15, 19—20 *quod ipsi libuisset perinde atque pluribus idem videretur, pronuntiabat,* *atque* idem valet quod *ac si,* et quod in Claudio legimus c. 14, 18 *perinde ut afficeretur,* idem valet quod *prout.*

Contra *atque* ad comparativum gradum posuit Iul. 14, 25—26 *velut gravius atque ipse sensisset exceptam (sententiam)* (confer libellum Eduardi Woelfflin supra laudatum: Lat. und rom. Komparation p. 52).

§ 2. Adverbium *item* praecipue in deliciis habuit. Saepissime legitur nihil aliud valens atque *et* vel *etiam.* Quin etiam in enumerationibus *item* cum *et* particula saepe mutatur.

Exemplis res manifesta vix eget. Pauca proponam: Iul. 43, 27—29 *lecticarum usum item conchyliatae vestis et margaritarum — ademit.* Aug. 4, 19—21 *superstitibus liberis Octavia maiore, quam ex Ancharia et Octavia minore item Augusto, quos ex Atia tulerat,* ubi alterum et tertium nomen artius cohaerent primo et altero. Praeterea conferas quaeso hos locos: Iul. 44, 35—36 Iul. 56, 13—14 Aug. 21, 24—27 Tib. 6, 11 Cl. 38, 15—17 N. 1, 6—7 G. 8, 35—36.

Saepe pro *et* dictum est, ut verbum in memoriam revocet, si sententia alia interposita prior continuatur, velut Iul. 84, 23—25 *consul Antonius — pronuntiavit senatus consultum, quo omnia simul ei divina atque humana decreverat, item ius iurandum,* vel verbum antecedentis sententiae ad sequentem supplendum esse indicat ut Aug. 43, 4—6 *nihil praeter venationem edidit; athletas quoque — item navale proelium.* Aug. 57, 13 *stipem iaciebant, item strenam.* Cal. 38, 36—1 *Testamenta primipilarium — ut ingrata rescidit, item ceterorum ut irrita et vana.*

§ 3. Saepe in hoc libello legitur *frequenter* idem valens quod *saepe, non temere* idem valens quod *vix. Amplius* ad tempus futurum significandum (ut nos dicimus mehr) = sequenti

tempore his locis invenitur: Tib. 27, 1—2 Tib. 39, 8 G. 5, 21—22 gr. 17, 32—33 vita Ter. p. 294, 3. Iam Caesar b. c. 3, 10, 3 ita dixit nec non Cicero.

Mox non modo, quid brevi futurum sit, significat apud Suetonium, sed omnino tempus futurum, et nonnumquam eadem vi qua *tum, deinde* illo adverbio usus est ut Iul. 28, 22 Iul. 73, 27 Aug. 2, 14 Aug. 8, 1 Aug. 43, 15 Tib. 49, 12 Cal. 8, 31 saepius. Etiam in enumerationibus usus est hoc adverbio (exempla Bagge collegit p. 64).

§ 4. Adverbium pro adiectivo Graeco more his locis legitur: Iul. 1, 11 *Corneliam Cinnae quater consulis filiam duxit.* N. 35, 8—9 *Tauri bis consulis ac triumphalis abneptem.* Vit. 7, 7 *ter consulis filium.* Vesp. 1, 19 *ter tribunum militum.* Tib. 60, 3—4 *qui sibi secretum agenti grandem mullum inopinanter obtulerat.* Vit. 17, 5—6 *alterum femur subdebile impulsu olim quadrigae.* Haec adicienda mihi visa sunt disputationi Baggei p. 62—69. Idem adverbia in — *im* desinentia collegit p. 60.

IV. De nominibus numeralibus.

De nominibus numeralibus dici potest Suetonium persaepe *unus atque alter* coniunxisse. Loci sunt Iul. 20, 18—19 Cal. 56, 16 G. 14, 37—38 Vesp. 4, 6 (p. 227) gr. 24, 17—19 rhet. 1, 22—23 (p. 269). Ter autem *semel atque iterum* scripsit: Aug. 22, 13 Aug. 27, 16 Cl. 46, 34. *Primus* pro *prior* dictum est in Tib. 7, 22—24, *unus — alter* positum est Iul. 48, 8—10. Denique hoc afferam *ambo* illum posuisse, ubi *uterque* exspectes et in Tiberio 3, 30—31 et in Caligula 49, 18—20.

V. De pronominibus.

De pronominibus Bagge p. 106—108 verba fecit. Pauca addam.

§ 1. *Suus* nonnumquam praegnanter, ut nos dicimus, usurpavit. Aug. 84, 16 *Livia sua* pro *uxore,* et Iul. 89, 5—6 *percussorum neque triennio quisquam amplius supervixit neque sua morte defunctus est (*pro *naturali morte* dictum).

§ 2. *Is* ad rem longius remotam nonnumquam pertinet, ut idem valeat quod *ille.* Nam Iul. 15, 37 *curationem eam* pertinet ad *refectionem Capitoli* versu tricesimo quinto commemoratam

et Aug. 37, 18 *honorem eum* ad *consulatum* ante duos versus appellatum. Pro pronomine *hic* positum videtur N. 15, 14—16 *cognoscendi morem eum tenuit, ut — ageret.*

Ille vero pro *hic* dictum est Aug. 87, 34 *notavi et in chirographo eius illa praecipue* (quae statim narrantur), et Cl. 40, 18—20 *illa eius cotidiana et plane omnium horarum et momentorum erant* (quae eadem statim sequuntur).

§ 3. Quod attinet ad pronomen relativum, hic locus imprimis dignus est qui afferatur: Cal. 43, 4—5 *contracto omnis generis commeatu quanto numquam antea.* Nam pronomen eodem casu positum est quo nomen, quod sane nulla alia voce interposita illud antecedit, quamquam verbum, quod e participio *contracto* subaudiendum est, accusativum casum postulat. (De hoc loco vide Ricardum Foerster J. J. vol. suppl. XXVII p. 190, qui nullum ei similem locum apud scriptores Romanos inveniri dicit). Praeterea praepositionem *cum* pronomini relativo non postposuit his locis: Iul. 6, 13 Iul. 52, 30 Aug. 35, 36 Tib. 4, 23 Dom. 4, 19.

Quicumque, quantuscumque (Cal. 3, 13 Cal. 24, 9) *quantuluscumque* (Cl. 30, 35), *qualiscumque* (Cal. 3, 13 Cal. 8, 7 Dom. 12, 29) non modo relativam, sed etiam vim indefinitam plurimis locis obtinent, quod hac aetate mirum non est, et *quicumque* etiam pro substantivo usurpavit his locis: Aug. 78, 11—12 G. 4, 9—10 Vit. 14, 33—34.

§ 4. De pronominibus indefinitis dicenda videntur haec.

Pluralis numerus pronominis *quisque* et quidem masculini vel feminini generis, qui vix legitur apud optimos scriptores, invenitur in Iulio 42, 15—16 Aug. 89, 24—25 Tib. 8, 6—8 (vide librum, qui inscribitur: Lateinische Syntax nach den Vorlesungen über Lateinische Sprachwissenschaft von Christian Carl Reisig, neu bearbeitet von J. H. Schmalz und G. Landgraf. Anm. 362 p. 77—78).

Quis dixit eodem sensu quo nos »man«, ubi alteram personam verbi exspectes: Iul. 60, 16 *cum minime quis moturum putaret.*

Ullus vim substantivi tenet in Aug. 25, 12 et Vit. 14, 38—2, *nullus* in Tito 7, 29.

Mira videtur coniunctio horum pronominum: Cal. 3, 37 *virtutes quantas nemini cuiquam*, quae tamen iam apud Plautum

Cas. 1008 nec non apud Terentium eun. 226—227 eun. 1032 hec. 67 legitur.

VI. De verbis.

De verborum coniugatione Thimmius p. 20—25 disputavit, de verbis minus usitatis vel quae Suetonius significatione vel structura inusitata adhibuerit, Baggeus p. 4—55. Haec addam.

§ 1. *Consulere* eodem sensu atque *interrogare* nonnumquam posuit. Aug. 18, 28 *consultus, num et Ptolemaeum inspicere vellet.* Eodem modo dixit Aug. 98, 25 Cal. 33, 20 et eadem significatione verbum Florus III 3, 6 Sid. Apoll. p. 25, 11 (ed. Mohr) Orosius p. 397, 10 (ed. Zangemeister) posuerunt.

Conspirare saepe dixit idem valens quod *coniurare*, imprimis participium *conspirati,* in bonam partem numquam Suetonius adhibuit. Idem de verbo *seponere* dicendum est, quod pro *relegare* adhibuit his locis: Aug. 65, 33—34 Tib. 15, 3 O. 3, 24 Tit. 9, 23. Utrumque apud alios minus usitatum.

Movere eadem vi ac *proficisci* scripsit Cal. 13, 11 *ut a Miseno movit.* Idem legitur bell. Afr. 7, 1 (vide, sis, quid de hac verbi significatione Elter in museo Rhenano vol. 41 p. 542—543 disputarit).

Quod autem scripsit Cl. 12, 14 *in semet augendo*, exemplum huius usus invenire non potui: Idem fatendum est de hoc loco: G. 11, 30 *usum togae reciperavit* eodem sensu dictum atque *repetiit.*

Perseverare voce *iter* non addita posuit in Vesp. 6, 19—20 *Aquileiam usque perseverarunt.* Idem legitur Caes. b. c. 3, 14, 2.

Ut dicitur *mimum, tragoediam agere*, ita scripsit Suetonius Tib. 12, 13—14 *non privatum modo, sed etiam obnoxium et trepidum egit.* Tib. 26, 17—18 *civilem admodum inter initia ac paulo minus quam privatum egit.* Cl. 6, 27 *quamquam hoc modo agenti.* Cl. 29, 5—6 *non principem [se], sed ministrum egit.**)

Participium *offensus* omnibus locis Suetonianis idem valet quod *iratus* Iul. 19, 15 Tib. 13, 38 N. 2, 25. Itaque scribendum videtur G. 16, 18 *universis ordinibus* offensis (*offensus* Rothius

*) Procul dubio *se* nihil est nisi dittographia particulae *sed* (vide Smildam p. 145).

— *offensis* Baumgarten - Crusius et Oudendorpius, sed de codicum lectione omnes tacent. Vide tamen Rothii praefationem p. XXXVII.)

Ad adiectiva optimi scriptores non *facere* sed *reddere* apponere solent, quod quamquam in hoc libro legitur (Iul. 68, 1 N. 1, 11—12), tamen saepius *facere* Suetonius scripsit velut Iul. 30, 24—25 *quod probabilius facit Asinius Pollio,* et Cal. 8, 26—27 *incertum diversitas tradentium facit.*

§ 2. Coniunctivum *forem* non saepe me legere memini neque usquam non tertiam personam *foret* Cal. 16, 1 N. 26, 29 O. 6, 35 Vit. 11, 35, *forent* Tib. 31, 13 O. 10, 3. Infinitivus *fore* saepius legitur, et praecipue *fore ut* pro infinitivo futuri passivi dixit Iul. 81, 25 N. 40, 28 O. 5, 5 Vesp. 5, 5 Dom. 15, 2—3, *futurum ut* semel, quod meminerim, Aug. 97, 22. Uno loco *fore ut* locum infinitivi futuri activi obtinet Iul. 30, 22—24.

§ 3. Verba frequentativa, ut nos dicimus, saepe posuit, imprimis *dictitare, gestare, ostentare,* praeterea *actitare, captare, cenitare, coeptare, cursitare* alia, quae tamen vim praecipuam amisisse tales loci docent: Cal. 52, 1 *assidue gestavit,* idem legitur Vit. 2, 17 (p. 216), N. 49, 27 *identidem dictitans.* Vim suam fortasse verbum exhibet Cal. 37, 12 *aut frugi hominem esse oportere dictitans aut Caesarem.*

§ 4. Passivam formam verborum impersonaliter his locis posuit: Aug. 56, 30—31 *eisdem praetextatis adhuc assurrectum ab universis in theatro et a stantibus plausum.* Cl. 11, 29 *quo de mutando rei publicae statu haesitatum erat.* N. 26, 5—6 *cum — lapidibus et subselliorum fragminibus decerneretur.* N. 38, 17—18 *ea clade saevitum est.* Vit. 1, 4—5 *nisi aliquanto prius de familiae condicione variatum esset.*

§ 5. Nunc de structuris minus usitatis verba faciam. Iul. 20, 16—17 *ut se* de *inferenda Pompeio nece* sollicitatum *a quibusdam profiteretur.* Iul. 40, 17—18 *quo magis in posterum* ex *Kalendis Januariis novis temporum ratio* congrueret. (Nullum alium locum, quo *de* vel *ex* pendeat ex illis verbis, invenire potui.)

Iul. 65, 7 *militem neque* a *moribus neque* a *forma* probabat. (Cum hoc praepositionis usu apte comparari potest haec elocutiv *ab arte (doctus* sim.), cuius exempla haud rara Handius Tursell. I p. 28 congessit.)

Tib. 61, 24—25 *nullus* a *poena hominum* cessavit *dies,* cui scribendi generi similia exempla Livius praebet his locis:

4, 27, 5 *nec — cessatum a levibus proeliis est.* 5, 42, 6 *nec ullum erat tempus, quod a novae semper cladis alicuius spectaculo cessaret.* 21, 11, 5 *Saguntini — ita non nocte, non die umquam cessaverant ab opere.*

Cum semper dicatur *interesse alicui rei*, Suetonius dixit O. 6, 24—25 **sacrificanti** *interfuit* (Sen. de prov. 1, 1 *interesse nobis deum).*

Vesp. 2, 24 *tribunatum militum in Thracia meruit*; aliis locis (Tit. 4, 32 et vita Horati p. 297, 8) *tribunum merere*, quod usitatum est, dixit.

§ 6. Quoniam de usu infinitivi et Thimmius p. 85—90 et Baggeus p. 97—102 disputarunt, nihil habeo, quod addam nisi nominativum cum infinitivo saepissime legi coniunctum cum verbo *credi* (Iul. 20, 20 (p. 10) Tib. 52, 2 Cal. 24, 37 Cal. 50, 38 saepius), quod apud optimos scriptores nondum invenitur. Quibus subiungam hos locos: Aug. 50, 31—33 *ad epistolas omnis horarum quoque momenta nec diei modo, sed et noctis, quibus datae significarentur, addebat.* Cl. 8, 19—20 *solebant et manibus stertentis socci induci.*

§ 7. Coniunctio *ut* insolentius his verbis subiungitur:

ambire Iul. 18, 38 *ambienti, ut legibus solveretur.* Aug. 31, 21—22 *(cum) ambirent multi, ne filias in sortem darent.*

Referre Iul. 28, 16—17 *rettulit ad senatum, ut ei succederetur ante tempus.* Iul. 28, 25—26 *rettulit, ut colonis — civitas adimeretur.*

Significare Aug. 94, 3—4 (p. 81) *non aliud significare, quam ut is ordo, cuius insigne id esset, quandoque ei subiceretur.*

Iubere Tib. 22, 36 *ut id faceret, iubebatur.* Vit. 14, 14—15 *edictum, quo iubebat intra Kl. Oct. urbe Italiaque mathematici excederent.*

Particulam *ut* saepius a Suetonio esse omissam monuit Baggeus p. 96—97; at plura exstant exempla, quam ille attulit velut Iul. 26, 14 Iul. 41, 1 Aug. 3, 16 Tib. 35, 24 (cf. Madvig, adv. II 576) Tib. 50, 5 Tib. 65, 28 Cal. 55, 36 G. 19, 25 Tit. 5, 23.

§ 8. *Ne* nonnumquam libere ad verbum appositum est.

Iul. 23, 10—11 *optinuit — reus ne fieret.* Aug. 57, 22—24 *observatum est, ne — supplicium de quoquam sumeretur.* Aug. 92, 28—30 *observabat et dies quosdam, ne aut postridie nundinas quoquam proficisceretur aut Nonis quicquam rei seriae incoharet.* Cl. 35, 12—15 *remisit, ne feminae praetextatique*

pueri et puellae contrectarentur et ne cuius comiti aut librario calamariae aut graphiariae thecae adimerentur. N. 17, 7—8 *repertum, ne tabulae nisi pertusae ac ter lino per foramina traiecto obsignarentur.* Tit. 8, 4 (p. 239) *tenuit, ne quem sine spe dimitteret.*

§ 9. De coniunctione *quod* hoc solum dicam:

Tit. 8, 7—9 *recordatus quondam super caenam, quod nihil cuiquam toto die praestitisset.* Hic locus docet, qua via particula *quod* sensim eadem vi qua *ut* vel infinitivus usurpata sit. (Vide disputationem, quam de hac re scripsit G. Mayen: De particulis *quod, quia, quoniam, quomodo, ut* pro acc. c. infinitivo post verba sentiendi et declarandi positis. Kiliae 1889 p. 16.)

§ 10. E nonnullis verbis quaestionem particula *an* incohatam pendentem fecit, quod apud scriptores optimi aevi nondum legitur.

Saepissime *cunctari* ita posuit. Iul. 81, 4—6 *cunctatus, an se contineret et — agere differret.* Aug. 8, 9 *cunctatus, an proximas legiones imploraret.* Eodem modo dixit Cal. 4, 21 Cal. 58, 21 Cl. 21, 5 (p. 159) Dom. 2, 24. Quaestio disiunctiva e verbo *cunctari* pendet Iul. 80, 12—15. Praeterea haec verba cum particula *an* coniunxit: Aug. 99, 34—35 *exquirere,* Tib. 14, 6—7 *captare,* Tib. 58, 3—4 *consulere,* Cl. 35, 18—19 N. 21, 2—3 *dubitare,* Dom. 12, 36—38 *inspicere.*

Sed Aug. 54, 14 *interrogatus ab eo, an essent alii digniores, an* idem valet quod *an non.*

§ 11. Nonnulla verba Suetonius diversum in modum adhibuit, velut eodem loco legimus Iul. 9, 10—11 *signum, quod ab eo* dari *convenerat, dedisse; convenisse autem Curio ait,* ut *togam de umero deiceret.*

Iul. 9, 36—38 *conspirasse* — ut *principio anni senatum adorirentur,* at Cl. 37, 36—37 *quem cum Messalina et Narcissus conspirassent* perdere.

Auctorem esse saepissime cum genetivo casu gerundii coniunxit (Iul. 19, 8 *auctores Bibulo fuerunt tantundem pollicendi* O. 8, 20—21 Vesp. 11, 10—11 Dom. 8, 22—24), infinitivus modus sequitur Iul. 9, 12—13 Aug. 94, 13—14 (p. 79) Cal. 12, 37—38, particula *ut* Tib. 35, 22—23 Cal. 15, 14—15 Cl. 25, 16—17. In Galba denique legimus 10, 8—10 *auctor singulis universisque* conspirandi

simul et ut, *qua posset quisque opera, communem causam iuvarent.*

VII. ἅπαξ εἰρημένα.

Iam ea verba, quae apud alios scriptores — exceptis glossariis — non exstant, enumerabo, quae non pauca Suetonius posuit.

I. nomina.

Tib. 31, 6 legator.
N. 15, 13 postulator.
N. 35, 26 molitrix.
gr. 9, 36 apparitura.
N. 27, 19 mitellita.
Tib. 68, 38 talitrus. (Archiv f. Lat. Lexikogr. I p. 28.)
Dom. 19, 34 scopulus.
N. 30, 15 Vit. 2, 27 praelautus.
G. 21, 30 praecalvus.
O. 12, 19—20 scambus.
gr. 9, 3 persenex.
N. 34, 18 machinosus.
Cal. 52, 34 cycladatus.
O. 12, 19 pedatus.
Cal. 27, 7 verbenatus.
Cl. 2, 30 superiumentarius.
Aug. 45, 5 togatarius (togatensis C. I. L. XIV 403).
Vit. 2, 18 (p. 215) veteramentarius.
O. 10, 24 angusticlavius.
Aug. 78, 38 lucubratorius.
Cl. 15, 36 lanionius.
Aug. 30, 1—2 manubialis.
Tib. 28, 13 percivilis.
N. 34, 12 solutilis.
Vit. 17, 5—6 subdebilis.
Cal. 39, 24 pistrinensis.

II. adverbia.

Tib. 50, 1 perindigne.
Iul. 26, 24 domesticatim.
Aug. 83, 1 subsultim.

III. verba.

Vit. 7, 34—35 ablocare (idem Rothius in textum recepit in Iulio 26, 24, alii *oblocare* scripserunt, de codicum lectione omnes tacent).
Aug. 80, 4—5 inclaudicare.
Tib. 39, 10 incenare.
Vesp. 13, 31 retaxare.
Dom. 13, 28 gr. 18, 1 transnominare.
Aug. 94, 1 (pag. 81) resuere.
Cl. 8, 17 addormiscere (cf. Smildam p. 31).
Dom. 18, 17 remacrescere.

VIII. De syntaxi congruentiae.

De subiecto et praedicato cum Thimmius p. 58—60 et Baggeus de syntaxi congruentiae p. 74—75 disputaverint, satis

habeo loco ab hoc laudato Cl. 38, 9 *irae atque iracundiae conscius sibi* utrumque *excusavit*, ubi et Rothius et Smilda *utramque* ediderunt falso (confer Cic. de off. ed. C. F. W. Mueller p. 117, 17) hos subiungere: Iul. 45, 25—27 *ex omnibus — honoribus non* **aliud** *recepit*. Vit. 13, 14—18 *epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat in ientacula et prandia et cenas commissationesque — indicebat autem* **aliud** *alii eadem die*. Similia exempla Baumgarten-Crusius in corollario p. 838 in. collegit.

Idem genus appositionis, quod Baggeus e Vesp. 5, 29—30 protulit, ubi legitur *bos arator*, invenitur Iul. 29, 31 *intercessores tribunos*, Tib. 72, 18 *serpens draco*, Cl. 42, 16 *excubitori tribuno*, N. 11, 29 *anus matronas*, G. 6, 8—9 *tironem militem*, Vesp. 5, 32 *arbor cupressus*.

IX. De casibus.

Quoniam uterque de casibus disputavit, nihil habeo, quod addam, nisi hoc: Ad voces *nomen*, *cognomen*, *praenomen* Suetonius genetivum casum apponere solet. Tib. 1, 15 *Luci praenomen*, Tib. 26, 26—29 *praenomen imperatoris cognomenque patris patriae — recusavit ac ne Augusti quidem nomen (addidit)*, confer Cal. 60, 24 Cl. 2, 23—24 G. 3, 1—2 G. 14, 30 Vit. 8, 26—28 Dom. 10, 19—20 Dom. 13, 26. Tacitum contra quater ita dixisse Nipperdey (ann. II 16) exemplis allatis docet.

Vide Smildam p. 10, et p. 117 de hoc loco disputantem: Cl. 24, 17 *cognomen* **Cauchius** *usurpare concessit*.

Praeterea hoc non praetermiserim. Ubi vernacula lingua e verbo ipso et res et persona pendent, Romani personam e nomine, quod rem significat, pendentem facere solent. Nota res est, nec non Suetonius ita dixit N. 33, 21—22 *ne quandoque apud hominum gratiam paterna memoria praevaleret* (bei den Menschen an Beliebtheit), N. 49, 37 *segnitiem suam his verbis increpabat* (nos: sich wegen seiner Trägheit).

Contra satis saepe eadem ratione dicendi qua nos usus est. Aug. 94, 15 (p. 80) *aquila panem ei e manu rapuit*. Tib. 20, 21—22 *se praesidenti patri ad genua summisit*. Tib. 24, 21—22 *procumbentem sibi ad genua (suspendens)*. Haud absimiles sunt hi loci: Tib. 72, 30—31 Cl. 10, 10—11 G. 20, 17—18 Vit. 2, 34 Vesp. 16, 26 Tit. 6, 34—36 gr. 3, 12.

X. De praepositionibus.

De praepositionibus diligentissime Thimmius p. 35—58 nec non Baggeus p. 69—74 disputaverunt. Nihil adiciam nisi pauca exempla huius usus non ignoti. Ubi enim locus aliquis duobus nominibus notatur, non alterum ex altero pendet, ut nos dicere solemus, sed utrumque per se ponitur. (Vide: C. F. W. Mueller: Zu Caesars bellum civile, Festschrift für Ludwig Friedländer p. 543 ff.)

Iul. 88, 2 *simulacro eius in vertice additur stella.* Tib. 15, 30—31 *Esquilias in hortos Maecenatianos transmigravit.* N. 13, 7 *iuxta se latere dextro collocavit.* gr. 9, 20—21 *statua eius Beneventi ostenditur in Capitolio ad sinistrum latus.* gr. 17, 35—36 *statuam habet Praeneste in superiore fori parte circa hemicyclium.*

Eodem modo dixit Iul. 20, 14—15 *eodem die horaque nona transduxit.* Tib. 51, 19 *uno die paucissimis vidit horis.*

XI. De coniunctionibus.

Et quoniam uterque de temporibus disputavit (Thimmius p. 80—85, Baggeus p. 92—97), pauca de coniunctionibus et particulis, de quibus Baggeus p. 62—69 verba fecit, subiungam.

§ 1. Particulam *ut* ad relativas sententias addere amat. Iul. 54, 29—30 Aug. 66, 6—7 Aug. 72, 38—1 Tib. 7, 33—34 Cal. 24, 12 Cal. 50, 4—6 N. 33, 11—14 G. 2, 22—24 Vesp. 4, 18—21 Tit. 3, 27—28. His sententiis omnibus exemplum affertur, quod sententiam superiorem illustret. (Contra raro Tacitus *ut qui* posuit. Draeger l. l. p. 65.)

Praeterea *ut* nonnumquam ita positum est a Suetonio, ut vel illustret rem vel more adiectivi describat eam vel etiam restringat, quibus locis *sed* addere solet coniunctioni.

Iul. 65, 10—13 *tum maxime exactor gravissimus disciplinae, ut neque itineris neque proelii tempus denuntiaret, sed paratum et intentum momentis omnibus, quo vellet, subito educeret.* Iul. 69, 32—33 *civilibus aliquas (seditiones moverunt), sed ut celeriter ad officium redierint.* Eundem usum scribendi hi loci exhibent: Aug. 24, 8—9 Aug. 78, 3—5 Aug. 89, 15—16 Tib. 66, 3—6 Cal. 37, 8—11 Cal. 53, 5—8.

§ 2. *Quotiensque* bis eodem sensu legitur quo *quotiens — cumque.* Aug. 37, 13—14 et Cal. 7, 18—21. Quod genus dicendi

rarum ante Columellam omnino non inveniri Eduardus Woelfflin (Archiv f. lat. Lexikogr. XI. p. 402—403) docuit*).

§ 3. Coniunctionum causalium usum omitto, cum diligentem libellum de iis scripserit Aemilius Trachmann.

§ 4. Ubi coniunctionem *si* coniunctivus modus plusquamperfecti temporis sequitur, sententia superior tamen nonnumquam indicativum modum exhibet.

Iul. 58, 33—34 *neque in Britanniam transvexit, nisi ante per se portus et navigationem et accessum ad insulam explorasset.* Vit. 10, 9—11 *imperavit egregie prorsus atque magnifice, et ut summi principis spem ostenderet, nisi cetera magis ex natura et priore vita sua quam ex imperii maiestate gessisset.*

§ 5. De coniunctionibus concessivis dicendum est et *quamquam* et *quamvis* coniungi et cum indicativo et cum coniunctivo modo.

Iul. 3, 13—14 *quamquam magnis condicionibus invitaretur.* Iul. 54, 21—22 *quamquam nec imperata detrectarent et advenienti portas patefacerent.* Idem legitur Iul. 79, 18—22 Tib. 16, 11—12 Cl. 20, 14—15 N. 22, 14 N. 34, 29—30 G. 14, 22—23 Dom. 20, 37—38 gr. 10, 3 gr. 23, 35. (Tacitus quoque *quamquam* saepissime cum coniunctivo coniunxit. Draeger l. l. p. 81.)

Unum exemplum indicativi cum *quamvis* coniuncti inveni: Aug. 42, 22 *quamvis dare destinarat,* ubi Rothius *destinaret* scripsit vix recte. Temporum enim ratio non congruit. (De codicum lectione quamquam tacet, tamen ex ceterorum editorum consensu colligo *destinarat* in optimis codicibus legi.)

Porro Suetonius *quamquam* saepissime ad membrum sententiae apposuit, imprimis ad participia nec non adiectiva. Iul. 1, 15—16 *quamquam morbo quartanae adgravante.* Iul. 11, 4—5 *quamquam exceptos Cornelis legibus.* Exempla plurima exstant. Hos locos collegi: Iul. 34, 7—9 Iul. 46, 38—1 Iul. 70, 3—4 Aug. 8, 38 Aug. 10, 33 Aug. 13, 31 Aug. 25, 29—30 Aug. 27, 18 Aug. 66, 36 Aug. 79, 16—17 Aug. 98, 28 Tib. 3, 33

---

*) Exemplis ab illo laudatis addi possunt: Dig. 26, 7, 24, Sidon. Apoll. p. 232, 25 (ed. P. Mohr), Hilarius psalm. p. 120, 17_2 (ed. Zingerle), C. I. L. II 1963. 1. 38.

Tib. 7, 29—30 Tib. 11, 38 Tib. 25, 3—4 Tib. 26, 29 Tib. 71, 2—3 Cal. 16, 4 Cl. 6, 27 Cl. 35, 6 N. 3, 18—19 G. 3, 17—19 G. 4, 15 G. 19, 32 Vesp. 2, 19 Tit. 3, 22—23 Tit. 7, 27 Dom. 14, 6 Dom. 17, 4 gr. 4, 11—12 gr. 21, 33 gr. 23, 22—24 gr. 23, 4.

Quamvis rarius ita a Suetonio usurpatur, quae coniunctio a scriptoribus optimi aevi sola ita adhibeatur. Hos locos congessi: Iul. 26, 23—24 Iul. 43, 26—27 Iul. 48, 14 Iul. 70, 6 Cal. 13, 11—12 Cl. 11, 12 Cl. 20, 25—26 Cl. 27, 19—20 O. 2, 7—8 Vit. 4, 4—5 Vesp. 15, 19—20.

§ 6. Restat ut de coniunctionibus comparativis verba faciam. Saepissime *quasi* nec non *tamquam* eodem modo ac Graece ὡς ita a Suetonio usurpantur, ut non res falsa narretur, sed ut significetur rem in opinione et cogitatione sola subiecti sententiae superioris exstare. Usus saepe simillimus est coniunctioni *quod* cum coniunctivo positae. De hoc usu Bennethius: Archiv f. lat. Lexikogr. XI. p. 407 sqq. verba fecit.

Nonnulla exempla supra allata sunt, ubi de sententiis e nominibus pendentibus disputatum est (II, I § 3). E verbis velut *criminari, obicere, insectari, increpare, condemnare, refellere, collaudare* pendet *quasi* his locis: Aug. 7, 28—29 Aug. 11, 17—18 Aug. 16, 9—12 Aug. 19, 10—12 Aug. 28, 22—23 Aug. 68, 30—33 Aug. 86, 9—10 Tib. 2, 4—5 Tib. 21, 34—35 Cal. 8, 35—36 Cal. 24, 13—14 Cal. 30, 20—21 Cal. 33, 21—23 Cal. 41, 20—21 Cl. 12, 28—30 Cl. 23, 25—26 Cl. 25, 2—3 Cl. 26, 5—7 N. 34, 24—26 N. 38, 10—12 N. 40, 2—4 N. 43, 29 N. 54, 20—21 G. 3, 24—25 G. 18, 12—13 O. 1, 20—22 Vit. 8, 22—23 Vit. 14, 18—19 Vesp. 6, 19—20 Vesp. 8, 10—11 Vesp. 23, 32—33 Tit. 5, 13—14 Tit. 8, 5 (p. 239) Dom. 10, 8—10 Dom. 10, 25—27 rhet. 6, 29—30.

Tamquam nonnisi duobus locis ita legitur, quibus pendet e verbis *imputare crimen* et *gaudere*: N. 36, 16—18 N. 40, 10—12.

Coniunctionem *prout* numquam non cum coniunctivo modo coniunxit, quamquam in sententiis superioribus indicativus modus fere semper legitur. Loci sunt Iul. 27, 3 Aug. 35, 38 Aug. 89, 24—25 Cl. 15, 1—2 N. 21, 7 N. 25, 26.

XII. De quaestionibus.

Et quoniam de participiis Thimmius p. 90—97 et Baggeus p. 104—106, idem de gerundii et gerundivi usu p. 102—104

disputavit, de quaestionibus hoc addam Suetonium quaestiones disiunctivas pendentes saepe ex adiectivo *incertum* aut *dubium* in sententias interponere amare nulla earum structurae ratione habita, de quo usu dicendi Vollmer in Statii silvarum commentario (IV 4, 21) disputavit. Exempla sunt:

I. Quaestio pendet ex adiectivo *dubium*: Iul. 58, 30—32 *in obeundis expeditionibus dubium cautior an audentior exercitum neque per insidiosa itinera duxit.* Aug. 28, 27—28 Tib. 10, 34—38.

II. Quaestio pendet ex adiectivo *incertum*: Iul. 18, 32—34 *profectus est incertum metune iudicii — an quo maturius sociis implorantibus subveniret.* Aug. 19, 13—15 Cal. 1, 9—11 Cl. 44, 11—13 O. 1, 12.

III. Quaestio ex adiectivo non pendet: G. 12, 10—11 *illa quoque verene an falso per ludibrium iactabantur.* Vesp. 1, 6—7 *T. Flavius Petro municeps Reatinus bello civili Pompeianarum partium centurio an evocatus profugit.*

XIII. De particulis.

Postremo de particulis verba faciam, de quibus Baggeus p. 62—69 disputavit. Haec adicienda visa mihi sunt.

§ 1. Particula *et* nonnumquam sensum particularum *et quidem* effert. Tib. 34, 18—19 *consuerat quadriplam strenam et de manu reddere.* Idem est usus particulae in Cal. 9, 31 N. 12, 8 Tit. 1, 3.

§ 2. Particulam *que* praepositionibus saepe addidit: *deque* Iul. 11, 38 Cal. 12, 30 Cal. 50, 37 Cl. 26, 2 Cl. 43, 26, *exque* Aug. 52, 19, *inque* Cl. 27, 24, *perque* Iul. 1, 18 Iul. 43, 29 Cl. 21, 1 (p. 158) Vit. 7, 10 Vit. 10, 13, *postque* Vesp. 21, 4, *praeterque* Cal. 55, 11, *proque* Tib. 53, 24 Cal. 26, 11 N. 8, 34 N. 47, 18 Vit. 5, 15, *propterque* Tit. 7, 16.

Contra legimus Cal. 51, 13 *sub lectumque.*

§ 3. *Etiam* saepe usurpatur a Suetonio eodem sensu quo *quoque* ad comparandas res, non ad augendum sensum. Itaque saepe nomini, ad quod pertinet, postponitur et in sententia alterum locum tenet.

Iul. 20, 22 *antiquum etiam rettulit morem.* Iul. 49, 24 *(praetereo —) missa etiam facio edicta Bibuli.* Haud diversi

sunt hi loci: Iul. 49, 27 Iul. 59, 7—8 Iul. 84, 37 Aug. 31, 23—24 Aug. 37, 16.

Audax collocatio videtur Iul. 5, 36—37 *Lucio etiam Cinnae,* Aug. 68, 31 *Aulo etiam Hirtio* et O. 12, 32—34 *magna pars hominum incolumem gravissime detestata mortuum laudibus tulit, ut vulgo iactatum sit etiam* et Vesp. 15, 23 *iustis suppliciis illacrimavit etiam et ingemuit.*

Sed eandem collocationem etiam his locis, ubi particula vim augendi retinuit, invenimus persaepe, quod tales loci docent: Iul. 45, 21—22 Iul. 52, 37—38 Iul. 63, 33—34 Aug. 28, 28—29.

Porro commemorandum est *etiam* deesse hoc loco: Iul. 60, 14 *proelia non tantum destinato, sed ex occasione sumebat.*

Et etiam scripsit Iul. 76, 5—6 *sed et ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est.*

§ 4. Contra particula *quoque* saepe vim augendi habet.

Iul. 33, 28—30 *se ad satis faciendum omnibus — anulum quoque aequo animo detracturum sibi.* Eandem vim tenet particula his locis: Tib. 53, 21—22 Cl. 9, 30—31 Cl. 33, 23—24 N. 32, 25—27 Vit. 2, 5—7 Vit. 7, 9—10 Vit. 7, 12—13 Vesp. 16, 25—28 gr. 7, 17—18.

Non modo — sed quoque hoc loco scripsit Suetonius: Vit. 13, 27—28 *ut homo non profundae modo, sed intempestivae quoque ac sordidae gulae.*

§ 5. *Neque* eodem sensu ac *ne quidem* positum est: Iul. 28, 14—19 *Marcus Claudius Marcellus consul — rettulit ad senatum — ne absentis ratio comitiis haberetur, quando nec plebiscito Pompeius postea obrogasset.* Aug. 86, 4—8 *cacozelos et antiquarios — exagitabat nonnumquam; imprimis Maecenatem suum — sed nec Tiberio parcit.* N. 38, 7 *sed nec populo aut moenibus patriae pepercit.*

Diversi videntur hi loci difficillimi: Iul. 78, 4—6 *ut proclamaverit — et nec destiterit,* ubi *et* vix retineri potest, et Dom. 20, 5—6 *epistulas orationesque et edicta alieno formabat ingenio. Sermonis tamen nec inelegantis,* quod fortasse respondet sequenti *etiam: dictorum interdum etiam notabilium,* nisi alterum *nec* cum adiectivo illi *inelegantis* respondenti evanuit.

Sed pro *et quidem non* dictum videtur Cal. 6, 14 *cunctis nec temere opinantibus.* Cl. 43, 25—26 *signa quaedam nec obscura paenitentis — dederat.*

Porro *nec* posuit, ubi optimi scriptores *non* dixerunt, in talibus sententiis: Iul. 25, 5—6 *per tot successus ter nec amplius adversum casum expertus*. Simillimi sunt hi loci: Aug. 85, 26—28 Tib. 18, 5—7 Tib. 21, 37—38 Tib. 72, 16—17 Cal. 41, 11 Cl. 29, 12—13 Cl. 30, 29—30 O. 12, 29—30.

At in Galba 5, 30 legimus: *quia notata, non perscripta erat summa.*

§ 6. *Sed* post verba *non modo* pro *sed etiam* posuit Iul. 60, 14 Aug. 88, 2 Cl. 16, 32 G. 22, 2—3.

Quadam brevitate *sed* positum est in Claudio c. 26, 29—31 *cum utraque divortium fecit, sed (*scil. *diversis de causis) cum Paetina ex levibus offensis*, *cum Urgulanilla ob libidinum probra et homicidii suspicionem.*

Duas res, quae opponi non possint, tamen hac particula opposuit Aug. 53, 5—7 *Gallum Terrinium senatorem minus sibi familiarem, sed captum repente oculis et ob id inedia mori destinantem praesens consolando revocavit ad vitam*, ubi potius ad voces *consolando revocavit* particulam *tamen* additam exspectes.

§ 7. *Autem* particulam collocavit inter praepositionem et nomen Iul. 46, 34 *post autem pontificatum*. Dom. 13, 25—26 *post autem duos triumphos.*

Contra quarto loco posuit Vesp. 22, 11 *et super cenam autem.*

§ 8. Quod vero particula *at* in media sententia posita est in Nerone 6, 3—4 *additum fabulae at eosdem dracone e pulvino se proferente conterritos refugisse*, hoc e coniectura Rothii scriptum est et falsum esse mihi videtur. Cum enim *ad* in codice Memmiano et Mediceo tertio scriptum sit, hoc nescio an nihil sit nisi initium vocis *additum* a scriba falso iteratum; itaque e textu amovendum est.

§ 9. Particulam *quidem* ad vocem aliquam efferendam saepissime adhibuit et per se et sequentibus particulis *sed, autem, ceterum, verum, at, sed tamen*. Cum autem usus apud Suetonium nihil miri exhibeat, non est cur locos singulos afferam. Nomen pronomine *ille* uno loco, quod meminerim, repetiit: Vesp. 1, 2—3 *gens Flavia obscura illa quidem.*

§ 10. De particulis conclusivis dicendum est *ergo* nonnumquam adhiberi eodem sensu quo *igitur*, non ut colligat, sed potius,

ut sententias conectat. Hos locos ita intellego: Iul. 31, 1 Aug. 29, 11 Tib. 11, 26 Tib. 13, 1. Omnibus his locis altero loco collocatum est. Narrationem nonnullis sententiis interiectis hac particula continuavit Iul. 8, 30.

Particula *igitur* primo loco collocata est Iul. 19, 11 Aug. 32, 10 G. 10, 33, *itaque* altero loco positum Aug. 10, 2 Aug. 25, 34 Tib. 11, 33 Cal. 48, 35 Cl. 11, 30 Vit. 5, 8 Vesp. 6, 26.

Nam saepe quadam brevitate posuit, ut causam afferat non eius rei, quae ante commemorata sit, sed quae omnino omissa sit.

Iul. 53, 11—14 *vini parcissimum ne inimici quidem negaverunt. — Nam circa victum Caius Oppius adeo indifferentem docet.* Iul. 56, 21—23 (p. 24) *reliquit et rerum suarum commentarios Gallici civilisque belli Pompeiani. Nam Alexandrini Africique et Hispaniensis incertus auctor est.* Aug. 65, 7—9 *post quinquennium demum ex insula in continentem lenioribusque paulo condicionibus transtulit eam. Nam ut omnino revocaret, exorari nullo modo potuit.*

Eodem modo positum *nam* legitur Aug. 83, 5 Aug. 85, 31 Cal. 23, 32 Cl. 29, 23 N. 28, 33 Vesp. 12, 26 Vesp. 14, 7 Tit. 2, 8 Dom. 4, 12 (p. 243) gr. 3, 23.

Uno vero loco *nam* liberius usurpatum est, ubi ad aliam rem transitus fit (confer C. F. W. Mueller: Kritische Bemerkungen zu Plinius' naturalis historia, Progr. d. Johannes - Gymnasiums, Breslau 1888 p. 7). Locus est Iul. 44, 35.

Namque saepe scripsit, semel altero loco positum G. 5, 29.

Atque hoc loco subsistamus et disputatiunculae finem faciamus.

Sententiae Controversae.

I. Pindari carmen Pythicum primum anno quadringentesimo septuagesimo quarto (olympiade septuagesima sexta) scriptum est. Theodori Bergk et Ottonis Schroeder coniectura, qua carmen anno quadringentesimo septuagesimo (olympiade septuagesima septima) factum esse statuerunt, reicienda est.

II. In Pindari carminis Nemeaei primi versibus tricesimo quinto et septimo lectio codicum ὡς ἐπεί — ὡς τ' οὐ retinenda et ἀνακολουθία quaedam statuenda est.

III. In eiusdem carminis versu sexagesimo sexto coniectura Godofredi Hermanni φᾶσεν ἵν accipienda, sed locus hoc modo interpretandus est: (praedixit) fore ut aliquis hominum cum obliqua invidia incedens ei infestissimum fatum redderet.

IV. Quod Johannes Vahlen in Hermae volumine tricesimo quinto de loco, qui est in Ciceronis epistularum ad Atticum libri primi epistulae quartae decimae paragrapho tertia, disputavit, improbandum est.

V. Locus, qui est in Suetonii Claudio in capitis quarti exitu, coniecturis temptandus non est, sed codicum lectio retinenda et parataxis quaedam pro hypotaxi statuenda est.

VI. In Claudii capite duodequadragesimo in initio *utrumque* cum codicibus retinendum, non in *utramque* mutandum est.

Vita.

Natus sum, Johannes Wolfgang Freund, pridie Idus Octobres anno 1876 Vratislaviae, fidei evangelicae addictus. Pater artem medicinam professus est. Gymnasium S. Johannis adii, et testimonium maturitatis adeptus aestate a. 1895 studiis philologicis me dedidi et in hac litterarum universitate Vratislaviensi et per unum semestre in universitate Vindobonensi. Militiae annum absolvi inde ab anno 1896 usque ad 1897.

Per novem semestria scholas frequentavi horum virorum clarissimorum:

Benndorf, L. Cohn, Ebbinghaus, Foerster, Freudenthal, Gomperz, Hillebrandt, O. Hoffmann, Kroll, Liebich, Marx, Meyer-Luebke, C. F. W. Mueller, Norden, Schenkl †, Skutsch, Szanto, Wilken, Wuensch, Zacher.

Ad exercitationes seminarii regii philologici aditum mihi benigne praebuerunt professores illustrissimi Foerster, Marx, Norden, Skutsch, ad seminarium regium archaeologicum Foerster, professor illustrissimus.

Quibus omnibus non possum quin gratias agam maximas semperque me habiturum profitear.

Imprimis vero singulari in me benevolentia Caroli Friderici Guilelmi Mueller, professoris illustrissimi, cui hoc opusculum sacrum esse volui, adiutus sum, qui me et gymnasium frequentantem litteris imbuit earumque amore implevit et philologiae me deditum, qua est eruditione huius artis, auxit auctoritate atque consilio. Cui gratiam habeo semperque servabo, quantam verbis exprimere non possum.

Index.